# Marſton-Moor:

## SIVE DE OBSIDIONE PRÆLIOque EBORACENSI

# CARMEN;

Cum Quibuſdam

MISCELLANEIS

---

Operâ Studióque *PAGANI PISCATORIS* ELUCUBRATIS.

---





---

*LONDINI*,
Typis *Thomæ Newcomb*, M.DC.L.



## *Ad Amicum Charissimum,* TAM MARTE quàm MERCURIO Ornatissimum.

VIcisti, FISHERE! *Comas*, vittatáque Lauro
*Tempora*, Victuris *Musarum* cinge Trophæis.
*Vos*, mihi Suaviloqui (gratissima Turba) *Poëtæ*,
*Vos*, qui Mellificæ colitis *Sacraria Suadæ*,
Huc *Oculos*, subitò huc vestros convertite Vultus,
Cernite *Brutigenam*, nostrúmque stupescite *Vatem*.
FISHERE, eximios inter *Laus* prima *Poëtas*,
Salve, *Laurigeræ* Decus immortale *Palestræ!*
*Aonidum* Tu summus *Apex*; Tu Gratia *nostri*
Deliciosa *Chori*; *Quem* si primæva tulisset
Ætas, *Grajugeno* non posthabuisset *Homero*;
Ipse *Novenali Turbâ* comitatus, ovantem,

Altisonúmque novis Soccis imitare *MARONEM*;
Virbius hìc *Claudjanus*, nec non *STATIVS* Ore
Grandiloquo redivivus adest, *Ambóque* videntur
In *Te* post Tenebras, & Sæcula tanta renasci;
In Te *Lucanans* MAYUS nova Tela videtur
Sumere, & *Æmathios* iterum referare Tumultus.
Plura quid aggrediar *Veterum* vestigia *Vatum*?
Mirer an *Italici* SILII, vel Plectra LUCANI?
Nominibus quorum mutatis, Fabula de Te
Narratur, dum Tu *Scenam* variaveris omnem,
Et *Latium*, *Briticis* hìc transplantaveris *Oris*.
*BELGIA* nec Vates, nec jam *septemjuga* jactet
*ROMA* Suos, Palmam T*u Victor* præripis *Illis*,
Et Calamo graviore tonas, concinnus in *Arte*,
Succinctus *Methodo*, celsus *Sermone*, profundus
*Judicio*, fandíque *Opibus* fæcundus abundans.
Dicitur indomitum modulatis Vocibus *Hæmum*
T*hreïceus Cantor* flexisse, ferámque suävi
Barbariem superâsse *Lyrâ*, Cui Robora Sylvæ,
Lætáque transversis *saliebant* Saxa Cavernis.
Nos

Nos *Rhodope*, *Thracésq;* sumus; *Tu*, doctior *Orpheûs*,
Imbuis arentes *Musarum* Fontibus *Anglos*,
Effrænésque Animos *Calami Modulamine* mulces,
*Mella* simul totis & *Cæcuba* sparsa *Camænis*.
*Cætera* quid referam? quòd sis *Generosus*, *avitis*
Prognatus *Titulis*, clarescens Sanguine *Campi*
Atq; *Domûs*, geminámq; trahens ab *Origine* Famam;
*Mente*, *Manúque* vales, & *Marte* & *Pallade* præstas.
Nam *Manus*, Autumnis *bis senis*, *Bellica* duxit
Agmina, *Mavorti* & teneris consuevit ab Annis;
Et *Mens* invigilans *Studiis*, *Academica* novit
*Jura*, *Sophistæo* gradiens afflata *Susurro*.
Euge! *Verecundos* tollas de pulvere *Vultus*;
Macte Animo, *sublimè* feras *Caput*, arripe *Lauros*
Quas *Pallas*, tantóque litat *Bellona* Cothurno,

E. BENLOSIUS.



*A D*



*Ad Amicum generosum*, PAGANUM FISHERUM, *Præfectum*, &c. *in* Carmen Eboracense.

Quis *Fons* roravit Calamū? Quis *Castalis* Haustus
  Pectora *Cecropiis* mellificavit *Aquis*?
In tua *Pieriæ* fluxerunt Carmina *Nymphæ*,
  Pendet & à Calamo *Turba Novena* tuo;
Dum grato nostros mulces *Modulamine* sensus,
  Et canis *aurata* Bella sonora *Chely*.
Admiror *venam*, mirórque *Poëmata*, dum tu
  Quæ facienda *doces*, quæque docenda *facis*;
Qui transfers in Castra *Scholas*; & *Castra* vicissim
  Digeris, Instructæ restituísque *Scholæ*;
Sic in utroque gradu præclarior *Armiger* exis,
  MAJOR ab Armorum Stemmate, magnus *Avis*;
Maximus Ingenio; quod nostra fatebitur Ætas,
  Elogiisque novis Sêcla futura canent.
Euge, Poëtarum *Princeps*! Cui serviat Orbis,
  Laurigerúmque tuis det *Diadema* Comis.

Sic exoptat Tu*issimus*.

ROB. GARDINER,
*Ex Hospitio Med. TEMPLI.*

Hoc Amicitiæ juxta & condigni meriti teſtimonium, ad *Batavos* prope diem diſceſſurus, reliquit. *P.*de *Cardonnel.*

O Quo vos memorem carmine, Nobiles
Dotes ingenii ! gratáque *Delio*
Monumenta *Patri !* digna perennibus,
Quas *Parnaſſus* alit vertice duplici,
Quas & *Pallas* amat nectere, frondibus
Sive bella gerat, ſive colat *ſacras*
*Artes*, docta quibus *Muſa* vetat mori.
Has Tu dum ſequeris, clarus adoreâ
Emergis duplici, multáque per tuam
Frontem ſacra repit Laurus, *Apollini*
*Fiſbere* alterutrâ *Pallade* Nobile.
Et clarus *Thracio* quippe ſimul Deo
Quàm me hæc bella juvant ! quàm bene temperas
Horrores *Erebi* melle *Heliconio !*
Ut non illa ſuo pocula Nectare
Tam mellita fluant,quæ recreant *Jovem !*
Et rapti *Juvenis* dextera porrigit.
Sed quàm grata magìs (dicite Poſteri,
Innuptæ *Britonum* dicite Virgines,
Matres, atque Patres, (non ſine lachrymis)
Quorum fracta ratis fertur in hoc mari ;)

a Execranda

Execran da forent Bella Nepotibus.
Hæc, si ficta modò pagina luderet,
" Præconem ut referunt fortis *Achillei*
Scripsisse, immeritis funera *Dardanis*
Ultro illata, malis artibus impigri
*Ulyssis*, *Priami* fatáque creduli.
Hæc sed vera nimis! digna quidem legi
Non siccis oculis: O bone *Cynthie*,
Tandem redde jubar Lucis amabilis,
Plusquam *Cimmeriæ* jam nimis *Insulæ*,
Cui pejus meritæ, *Sol suus occidit!*
Invidere suas cuique priùs dies,
Quotquot Regna Polo duplice subjacent.
At Tu, qui facili plenus *Apolline*
Hæc ingrata licèt, Nectare dulciùs
Degustanda tamen pocula temperas;
Perge, *Heliconiis* undique frondibus,
O *Fisbere*, caput nobile cingere:
Donec Stella redux vivida CÆSARIS
Dispellat tenebras perpetuo die;
Et sit materies hinc nova Carmini
Consecranda tuo. Tunc etenim novis
Pendebunt viduæ fructibus arbores.
Tunc *Pæana* canet colle sub avio,
Securus tenero de grege *Tytirus*:
Omnis terra ferens omnia, CÆSARI
Florum Serta dabit, *Lilia cum Rosis*,

" Historiam enim Belli Trojani ab *Homero* decantatam, multis fabulis & Poëticis fictionibus annumerans.

Quæ

Quæ Te nullus erit nectere doctior.
Quòd si *Threïciæ* delitiis *Lyræ*
Donâssent superi me, vel amabili
*Venusina* sonat quo pede Barbitus,
In laudes meliùs proveherer tuas;
Verùm hîc sisto pedem tutiùs, impari
Quàm si te aggrediar Carmine debilis.
FISHERE, O meritas dicere quis tuæ
Laudes Musæ etenim te meliùs potest?
Miles bella geris, scribere doctior.
Miles bella canis, ducere fortior.

---

a 2 IN

---

In Chariſſimi Amici Majoris *Pagani Fiſheri*
PRÆLIUM EBORACENSE.

BElla per *Eboracos* plus quàm *Civilia* Campos
Júſq; datum *Sceleri* reſonas, Populúmq; poten-
In ſua victrici converſum viſcera dextrâ (tem
In commune nefas, Infeſtiſque obvia Signis
Signa, Cruces Crucibus, ſeu Pila minantia Pilis.
Quis Furor, O *Fiſhere*, tuo de Pectore ſenſus
Expulit humanos? Tua nam Præcordia *Phœbus*
Auxit,& inſolito tetigit Penetralia motu.
Euge igitur! dum Templa patent Tibi *Delphica*;
In Tua *Pierides* ſuſpirant vota *Sorores* (dúmque
Nè *Laurum* permitte, precor, marceſſere, turpi
Segnitie; aſt iterum repetes *Heliconia Rura*;
*Gorgoneis* undis rurſum te prolue, & Aſtra
*Chriſtiadum* FISHERE Tuis accinge *Cothurnis*.

*Alexander Roß.*

---

Clariſſimo



Clarissimo Poëtæ, Historiographo Domino P. F. in suum MARSTON MOORE.

*A Rma cruenta canis, quin mulces Militis iram,*
*Tam placido Genio, tam facilique Stylo.*
*Non* Acies *metuenda nocet, non sanciat* Ensis,
*Sed suavem reddunt* Tympana *rauca sonum.*
*Ac velut ignivomæ Classis, nigræque Procellæ,*
*Per pulchras late cernimus* Effigies.
*Purpurei vestro revirescunt carmine Campi,*
*Et vultum* Mavors *exuit ipsa trucem.*
*Absit* Telorum *Clangor, Gemitúsque Dolentum,*
*Concedat placidæ* Buccina *sæva* Lyræ.
*Implet enim nostros animas gratissimus horror,*
*Vulnera securos nos aliena juvant,*
*Talia si doctus resonaverat* Orpheüs, *Illum*
*Vix celeri gressu,* sylva *sequuta foret;*
*At* Tu *rugosam cogis* Juvenescere *Frontem*
*Eximio versu, Prælia iniqua canens.*
*Macte igitur Miles docte, & generose Poëta,*
*Non* Hederæ *tantum, sed tua* Laurus *erit.*

Th.Culpepper, *ex Hospitio*
*Interioris Templi.*



*Generoso & Doctissimo Viro* Dno Pagano Fishero, *Armigero, Poëtæ Anglorum Clarissimo.*

PROSPHONETICON.

EX *Aquilone* refers Aquilæ sublimibus alis
Prælia *Marstonicis* effuso sanguine campis,
Hîc ubi *Eboraci* non longè à Mœnibus altis
*Albion* infelix humanis ossibus *albet*.
Horrida Bella nimis, Patriæque Nepotibus olim
Vix credenda canis, sed Plus miranda per Orbem,
Quomodo corruerint fraterno sanguine *Cives*.
Divisique suo fuerint *Mavorte Britanni*.
Bis ternas acies producis in arma ruentes,
Ardorémque *Ducum* excitum clangore *Tubarum*,
Ordine disposito *stantes* tot in agmine Turmas,
Atque *vacillantes* variatâ sorte cohortes,
Donec Clade gravi pugnam *Bellona* diremit.
Talia dum celebri memoras, FISHERE, Cothurno,
Et, quæ vidisti præsens, certissima narras,
Inter pugnantes Socii pars magna Laboris,
*Te* decoras Famâ, *Vatúmque* probante *Coronâ*
*Palladis* & *Martis* dignus censeris alumnus,
Ut tua decantent Parnasso Carmina Musæ,
Pro meritísque *Tibi* duce cedat *Apolline* Laurus.

*Joh. Sictor*, Bohemus.

*A D*



# Ad Amicum *Paganum Fisherum*, in Poema Eboracense.

ÆOnii *Latices doctæque* effusio Lymphæ
*Repsere in vacuas fæcundâ* aspergine *venas*,
*Quæ mox nutantem sic exstimulàre Calorem*,
*Ut Tua scintillent totum Præcordia* Phœbum:
*Carmina sic* Tragico *reboant animata* Cothurno,
*Et mens* Ætheriis *sic est accensa* favillis
*Molle nihil, nil lene sonat, sed Sydera tranans*
Enthea *suffusi spirat* Dictamina *Cœli.*
Impactis *glomeras metris*, Soccóque *tonanti*,
Quæ *sunt* EBORACIS *non tantùm digna Trophæis*
*Sed resonanda magìs* tumidæ *post Prælia* Phlegræ;
Quaque satiscentum moles Turmásque *Gigantum*
*Straverat Ignivomis rapidi* Jovis *Ira* Trisulcis.
*Tu* pedibus *moderaris equos*, manibúsque *citatos*
*Instituis Calamos*, & *jam sit Quæstio, quis sit*

*Liberior*

*Liberior tibi* Pes, *vel* Dextra *animosior*, *æquè*
Musarum Martisque *simul Magnalia pandis*,
*Vt Juga* Parnassi *simul &* Permessidos *Vndæ*
*Lege*, Tibi *merito cedant sua Jura* Patrono.

TH. PHILIPOT.

---

*Lector!*



Oc Opusculum Typograhis admissum, & ab eorum manubus pæne emancipatum, Sumptibus & Impensis Pientissimi Viri *Edvardi Benlosii*, Armigeri, Literarum Propugnatoris acerrimi, nec non Musarum Munificentissimi *Mecœnatis*.



*D E*



# DE Obsidione Prælióque EBORACENSI, &c.

PAndite *Pierides* Portus; velísque favete;
Remige dum parvo per hiantia viscera volvor
*Æquoris*, exiguóque vehor per *vasta* Phaselo.
Tota *Palæmoniis* descendat Turba Coronis:
Nec non *Melpomene* lugubribus adsit *Iambis*:
Et Pater *Odrysius Mavors*; Bellonâque nostris
Annuat auspiciis; Indutaque Tempora Sertis,
Agmina *Palladiis* surgant Heliconia castris,

 Auden-

Audentémque juvent; modicis dum Sidera ſoccis
Debilis aggredior, Magnum & MEMORABILE BELLUM
EBORACIS; Tantæque Cano Primordia *Pugnæ.*

Tempus erat cùm longa Quies, & blanda Voluptas
Mollia ſecuris ſignaverat otia Terris:
Cùm *Pax* & læto ridens *Concordia* vultu
*Lacte* ſimul ſaturos & *Melle* repleverat *Anglos*.
Horruerat veteres cùm SCOTIA fida Tumultus,
*Perjurum* ſenſítque *Nefas* indicere Bellum
Finitimis, FRATRESVE ſuis vexare Catervis.
Magna quidem Pietas, Tua ſed Prudentia major
Magne JACOBE fuit, *vidui* Moderamina *Clavi*
Dum Capis, *Angligenúſque* novas imponis Habenas.
Felix Illud Opus, quod ſic *Contermina Regna*
Vicináſque Plagas *Sociali* lege *Maritans*,
Auxit *Oliviferos* fœcundâ Pace *Britannos.*
Tunc Amor & pleno defluxit Copia Cornu:
Rorabant fruticeta Favis; & ſponte Roſeta
Montanis rubuere Jugis; dum Cortice ab omni
Sudabant tepidæ ſpirantia Balſama Sylvæ.

Tum

Tum Tuba terribilis tacuit; non Tympana Sæva
Raucisono fremuere Foro, nec *Murmure* diro
Horrida Pacificos rumpebant Classica Somnos.
Cum Catulis errâre *Lupi*; cum *Tigribus* Hœdi;
Ludibrio procul *Ensis* erat; nec, *Milite* spreto,
Impia Ruricoli metuebant *Damna* Coloni:
Sed Lare sub Proprio, Propriisque Penatibus, almâ
Pace quiescebant, & quas sua Dextera fecit,
*Vitiferis* passim recubabant suaviter *Umbris*.
*Sed longum sub Sole nihil*: Nec *Sidera* Pacem
Semper habent; Ipsósque *Polos* (si credere Fas est)
Terrigenis bellâsse ferunt; cum Brachia Centum
Tolleret ENCELADUS, BRIAREúsque minantibus armis
Æthera, & in *Superûm* conjuravere TONANTEM.

Jâmque iterum MAVORS felicibus Invidus *Anglis*,
Inchoat Infandis Terras accendere Bellis
Turbidus, & solito *Pacem* temerare Tumultu.
Nec sese solum tanta in Conamina credit
Sufficere, *Infernâ* Sociam ni *Sede Megæram*
Hydrigerásque vocet damnosa ad Castra Sorores.

Nec mora: Jam *Furiæ Stygis, & Cacodæmonis umbræ*
In Turmas Aciémque ruunt; referúntque viciſsim
Juratas in Bella manus, & Prœlia poſcunt.
Jámque aderant Peſtes, varióque ex Ordine fata,
Quicquid hians tulerat *Styx*; aut quodcunque ſiniſtro
Nox genuit Coitu: Cædes, cum Cædibus, Iræ,
Ambitus, & famulo veſana *Superbia* Ferro.
Omnia *Peſtiferæ* patuere Sedilia *Portæ*.
Jàmque Colubriferos Capitum ſubrexit Hiatus,
*Cerberus* Infernæ latrator turbidus Aulæ.
*Eumenides* venere truces, feralis *Enyo*
Adfuit, Implicitúmque rotans *Bellona* Flagellum
Acriùs infremuit, trepidúmque exterruit Orbem.
His ubi Conventis Stipata eſt *Curia* Monſtris,
Extemplo eminuit rapido Diademate *Mavors*
Imbutam quatiens *Titanum* Cædibus Haſtam:
Torva quidem Facies, & non adeunda Senectus:
Terribiles Horrore Jubæ; conóque Coruſco
Scintillâre Faces; fremuítque adamantinus Ordo
Dentis, ut *Armorum Fragor*, ictáque cuſpide cuſpis.

Poſt-

Poſtquam juſſa quies, ſuasítque ſilentia terror,
IPSE (Catervatim Comitum Cingente Coronâ)
Horrendas quatiens galeato in vertice Criſtas
Talibus excuſſam patefecit vocibus Iram:
Surgite Concordes Socii, cœptíſque favete:
Ulteriùs pigeat, pigeat latuiſſe pudendo
Pulvere, & Ignotis animas traxiſſe tenebris.
Siccine ſecuros ſemper ſpectabimus *Anglos*?
Atque *Caledonios* alternâ pace vigentes?
Hoc F*uriæ* prohibete malum: noſtríſque vocatæ
Adferte Auxilium Cœptis; lugubre Relatu
Grande nefas aliquod ſubitis advertite dextris
Ipſe quod obſtupeam, totum *Invideátque* Barathrum:
Quale nec atratis produxerit *Ætna* caminis;
Nec Portentiferis tulit *Africa* dira Cavernis.
Secula jam rapido redeant *Antiqua* tumultu,
Luſtráque retrogradim tandem *Scyllæa* revertant,
Ebria *Civili* dum ſtagnet *Sanguine* Tellus,
Surgat & in Proprios infelix *Anglia* Partus,
Inque *ſuis* ſævos condat *Penetralibus* Enſes.

Nam quæ mollivit noſtros Clementia mores
Sacrilegæ ut coëant tanta in diſcrimina gentes,
Et latè Impietas Humani Fœderis exlex
Contemtríxque Poli, fuſis dominetur Habenis?
Quis furor *Angligenos*? Quæ tanta licentia Terras
Traxerit Intrepidas, ut noſtri Fulminis Iras
Flammiferóſque putent impunè laceſſere vultus?
Sed non Impunes, neque enim patiemur Inultas.
Quis noſtræ Ditionis honor, *Tricoronifer Anglus*,
Et quanti ſit noſtra Manus, Gens tota *Britannis*
Sentiet, ultrices & ſera fatebitur Ictus.
Ergò Catenati rumpam *Tria Fœdera* Regni,
Et Triplici Compage traham: Radicitus urbes
Proſternam validas, totáſque è ſtirpe revellam:
*Tartara* miſcebo Terris; Quadrata *Rotundis*
Turbidus involvam; Mitras veteréſque Tiaras,
*Pileolis* mutabo novis; Diademata Regum
Stratáque ſuppoſitis abolebo *Sceptra* Sepulcris.
Dixit; & Ingentem ſuccendens lumine Pinum
Remigat, horrendo concuſſus *Tartara* Motu.

Qualis

Qualis *Hyperboreos* ubi *Cœlicus* impulit Axes
RECTOR, & emiſsis laxavit vincula ventis:
Sylva ſimul, Pelagúſque fremunt; Fundamine Tellus
Labitur Infelix, & feſsâ mole laborat:
Omnia Naturæ coëunt Præpoſtera; Paſsim
Attonitis ſtant Aſtra Globis; longúmque *Tonantis*
Stelliferi Tabulata tremunt; hinc ſurgit *Orion*,
Hinc ſævit *glacialis Hyems*; dum Plauſtra *Bootes*
Pulverulenta rotant, Nimboſáque ſibilat *Arctos*.
Turbidus erigitur *Mavors*, in Bella Jugales
*Odryſiâ* Tellure vocans; dum præparet Arma
*Mulciber*, ínque nova *Cyclops Incude* laboret,
Ignifluíſque gemat *Lypare* latebroſa Caminis.
Bella tonant, totúmque quatit *Diſcordia* Regnum;
Nec Furor *Auſtrali* tantùm bacchatur in agro,
Sed longùm graſſatur ovans, *Borealibus* Arma
Laturus miſeris, *Septémq; Trionibus* Hoſtes.
* Infelix *Tellus*! Cunctíſque Obnoxia damnis
Totáque perpetui Recubans ſub Pondere Belli!
Proh Sedes Centrúmque mali! lugubre *Theatrum*

** Eboracorum deploranda calamitates.*

Horror

Horror ubi & *Tragico* Facinus fremuere *Cothurno.*
*Persone't* Ingentes Strages, *Scenáve* sub una
Qus tantos *Motus*, vel tot numeraverit *Actus*?
Parva loquor, graviora tulit: tulit Illa Cohortum
Concursus quantos, modò cum *Terrentibus* Armis
Hinc *Nostri undârunt*, Illinc *Exotica Pubes*
Ingruerent, fusis Faciémque *umbraverat* alis.
Et nunc vix gravidum donis *Cerealibus* Annum,
*Tertius Autumnus* texit, *Borealibus* Arma,
Quam tulerat *Bellona* Plagis; admotáque Muris
Machina, turrigeras tonitru tremefecerat Arces.
Longiùs innotuit nam postquam *Australibus* Oris
Munivisse suas EBOR alto milite muros
Et totum *Augustæ* CAROLIque incumbere *Caussæ*
Assensere simul *Proceres* cinctúsque decoro
Milite, *Patricius* lectus convenerat *Ordo*
INTERIORE DOMO; versis ubi Plurima Regni
Consiliis satagunt, & quæ præsentia poscunt
Exponunt; EBORIS que vices sub pectore volvunt.
Tandem ubi Consultum est: BURGI PROCERESque vicissim

Vociferis fremuere animis, & murmure mixto
OBSIDIUM *Boreale* tonant;tonat omne *Senat*
OBSIDIUM,cunctísque sedet *sententia* VOTI:
Nec mora : jam (*Ducibus* lectis) indicere *Bellum*
EBORACIS, cinctísque parant circundare Turm
Conditur interea variis compagibus Agmen
Selectísque viris, quos si vel Prisca tulissent
Sæcula, forsan adhuc, adhuc inconcussa stetissent
Mænia *Dardanidum* totæ & *Lacedæmonis* Arces,
Nixáque nec tantas vidisset *Græcia* clades.
Stat Castris Juvenile Decus; Galeáque teruntur
Nondum mutatæ primâ lanugine malæ;
Et Tyrone coit * *Veteranus*, verbera mille
Passus, & annosi norans discrimina Belli,
Vulneribus Pars nulla vacat; vivísque Figuris
*Prælia Fronte* legas, tanto, numerosa Cicatrix
Vulneris Insciffos sulcavit tramite, vultus.
Horrida * Spontanæ coëunt ad Classica Turmæ
*Jurato* fidas Sociantes *Fœdere* Dextras.
Insignes aderant *Britones*, *Gallique* feroces,

* *Anglicismus est*, An old beaten soulder.

* *Anglicè*, Volunteers.

C Atque

Atque *Bipenniferos Batavi* junxere lacertos.
*Grajugeni* venêre Viri, *Bulgaria* longis
Et quos ſparſis *Tranſilvania* miſerat Oris.
Parciùs aſt *Illi* raris repsêre Maniplis.
*Enſiferi* venêre *Scoti*, numeríſque potentes
Atque animis pariter, plenis fluxêre Catervis.
Pugnaces * *Pictæque* aderant qui Pelle *Caprina*
Horrificare latus gaudent, humeróſque Pharetris:
Quíque extremā ſolent damnoſis tingere ſuccis
Spicula, & Infando *Ferrum Infamare* veneno.
Sed vagus arripior quorſum ? quid Plura? quid *Iſtis*
*Immoror*? haud noſtrì eſt tantas in Carmine turmas
Claudere, & ad calamum totas religare Cohortes.
Rarò, equidem Rarò, tantæ Ductore ſub uno
Convenêre manus, vel tot diſcrimina vocum.
Pulchra tamen Belli ſeries; nec rectiùs unquam
Ordine progreſſus tantis *Exercitus* Armis.
* Feſtinat tam *lenta Cohors*; juvat indè *morari*
Et *differre gradum*: nunc in veſtigia Prima
Ulteriora trahunt, eadem mox *Cornua* mutant

* *Anglicè* Redſhanks.

* *Vocabula Militaria*, To march, To halt counter-march and wheel.

*Frontis*,

*Frontis*, & alterno miſcent *Curvamina* Motu.
Quale receſſuris inituri Prælia Ventis,
Concordi clangore *Grues*, Glacialia linqunt
Frigora, fæcundo mutantes *Strymona Nilo.*
Dúmque vagos Caſus, primæque exordia Brumæ
Garriculæ narrant, & mutua Murmura miſcent:
Ordine quâm recto tranant vaga Sydera! gyro
Multiplicique novas fingunt per *Inane* figuras!
Inque *Voluminibus* Cœli pinxiſſe putares
*Fabellam* totam; tam pulchris ducitur alis
Littera, Pennarúmque *notis inſcribitur Aër.*
Tale meat, variiſque micat mirabile Telis
*Agmen*, vulnifico ſtans formidabile Ferro.
*Fraxinus* excelſo ſurgens per Nubila Gyro
Inſtar erat *Nemoris;* gladiis *impalluit* Æther,
Et *vexilliferis* ſtupuerunt Sydera *Turmis.*
Non ſecus Innumeris *XERXIS* Gens tota Catervis
Dicitur Immenſum *Galeis* hauſiſſe *Profundum*,
Et clypeis *umbráſſe* D I E M. Tremuêre relictis
Ruricolum Genus omne Caſis: latéque Paventûm

Sparſa per extremos gliſcebant Murmura vicos.
Qualis Squamigeris vitrei ſub *Marmore* Ponti
Piſcibus Horror adeſt ; quoties *populatur* opimas
Terribilis BALÆNA lacus ; fugit omnis in Imum
Turba vadum, tutáſque metu *ſtipantur* in Algas.
Straverat Imbelles talis formido Colonos,
Agricoláſque leves ; Pecudum de more petentes
Speluncas, furnis, & luſtra horrentia Dumis.
Sed non EBORACOS ſubiit metus Iſte feroces,
Sed magìs accenſos animoſi gloria Belli
Impulerat, dextráſque novis virtutibus auxit.
Ergo ubi flammiferos *Fragor Æreus* impulit enſes,
Pulsáque Marticolas agitârunt Claſſica Turmas,
Protinus audaces Curſu rapiuntur anhelo,
Atque * Securigeros referunt in Bella lacertos.
* Anglicè, Pole-axes.
*Ingentes tollunt animos* ; lætique reſurgunt
Ad litui, fremitúmque Tubæ ; nec lubricus *Anguis*
Pronior erigitur tepidi ad ſpiramina Phœbi,
Et ſenio exutus, renovatâ Pelle ſuperbus
Luxuriat, Placidíſque minax intervirет herbis.
Artificum

Artificum mox mille manus; Conamina mille:
Expediunt alii Parmas; Hic acuminat enses
Rhomphæósque graves, tetrâ Rubigine morsos
Tergit, & *attrito* cogit *juvenescere* Saxo.
" Consuitur Tegmen lateri impenetrabile, multas * Anglicè, Buffcoats.
Passurúsque manus, atque irrita vulnera Thorax.
Hi collapsa novis instaurant Mœnia Fossis,
Invalidásque fovent numeroso Milite Portas.
Postibus ast Illi *Scutas*, Trabibúsque revellunt
Magnorum *Monumenta* Patrum; conflatur in Enses
Vomer, & in gladios Curvi rubuêre Ligones.
Vimineis alii nectunt Substramina Ramis,
Et " *Cophonos tellure gravant*; ut tutiùs Hostis * Anglicè, Gabeons & Cannon-baskets.
Evitent globulos sub tecta mole latentes.
Effossis alii *sinuosa Foramina* Muris
Arte cavant cæcâ; per quæ confundere glandes
Tutum erat *Obsessis* arctâ nè rursus eodem
Spicula ab Hoste viâ, vicibus contorta redirent.
Hinc Muris vexilla micant; Hinc Turribus hastæ
Tolluntur, Superóque rotant Fastigia Cœlo.


Nec

Nec minor *Adversis* virtus eluxit in *Armis*,
Suaserat hortatrix avidi quos Gloria Cœpti
Pugnaces efflare animas, & reddere Fato.
Ut furor incaluit vibratáque flamma medullis
Ignea vivificis animaverat ora favillis;
*Hostibus* assurgunt latè *excursantibus*; ultro
Et sociant fidas inimico more Phalanges.
Nempe ratum fixúmque sedet Penetralibus imis
Inviolanda *Novi* " *Sollennia Fœdera Pacti*,
*Conscriptósque Patres* extrema luce tueri.
Hinc, modò si mortem vel si graviora SENATUS
VOVERIT intrepidi subeunt; *Zeloticus* ardor
Talis & insanæ gliscens Fiducia CAUSSÆ.
Tantus erat famæ generandi & Nominis ardor,
Gloriolæ dum folle tument; Juvat ire per enses
Ad Decus, & dextra memorandam condere famam.
Utque propinquabant *Urbem*, propiúsque petebant,
Infremuere omnes animis, tantóque Boatu
Intremuit Tellus, credas Radicibus ire
*Nubigenam* vulsis, (quam longè *Cumbria* jactat)
*Skydithiam*,

" *Anglicè*, COVE. NANT.

" *Skydithiam*, aut motos Pelago descendere Montes. " *Apud Plagas Septentrionales Mons altissimus.*
Vociferis auxere suas clamoribus iras,
Et stetit ambiguum, tanto fremuere tumultu,
An manibus trepidam raperent vel vocibus *Urbem.*
Ordine progreditur læto, sperátque secundum
Fortunam sibi quisque *Ducem*; prosternere Muros
Ardentes pariter spretásque ascendere turres.
Sternitur interea veteres vicina Securi
*Sylva* Comas; gratæ quâ vix fæcundior umbræ
*Eboracos* inter Colles Saltúsque Propinquos.
Proh pudor! Excidium nam jam miserabile Luco
Contigit, & tremulis terram nudaverat umbris.
Procumbunt *Orni* pariter, nodosaque *Fagus*,
*Fraxinus* &, primos Pugnæ potura Cruores,
Acclinant mœstis intonsa Cacumina terris.
Ingemuit lugubre Solum; sub pondere Tellus
Succutitúrque pavens, & fessa mole fatiscit.
Utque satìs Nemoris scissum est; *Munimine* miro
Aggrediuntur *opus* Sylvásque ad mœnia volvunt.
Stant *Pedites* mæréntque moras, duróśque labores,
Nec

Nec refovere datur languentia membra ſopore;
Noctem operæ jungunt, & Robora ferre coactis
Nervoſis properant, & raptas collibus Ornos;
Tantæ molis erat *vicinos cingere muros.*



METRI I. Finis.



*De*



# DE
# Obſidione Prælioque
# EBORACENSI.

## METRUM II.

MOx ubi Curvato circumvallaverat Orbe
*Ductor*, & admotam cinxit legionibus *Urbem*;
Pervigil abſtruſas latebras, *Urbiſque* receſſus
Rimari aggreſſus, clivos, collíſque Propinqui
Ingenium, & Campi quæ ſit natura ſtudebat.
Sic Canis occultos Lepores venaticus ambit,
Erroréſque vagos callens, per Devia merſo
Nare legit, fixóque premit veſtigia roſtro :
Jam Juga, jam reſonos oblatrat murmure Montes,

Nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem
Deprehendit densis arcana Cubilia Dumis.
Non procul à muris Tumulus telluris in altum
Eminet, unde *Vrbem* totam Turrésque videre est
EBORACAS; placuere situs, fidique receptus.
Hic sua signa locans DUCTOR, dimensáque Castra
Aggeribus multis, & amico cespite terræ
* Crebra frequentatis, auxit fastigia, Clivis.
Mole superstructâ, librari *Bellica* tandem
In Muros TORMENTA jubet, quibus alta refringat
Vincula Portarum, quaterétque morantia Claustra.
Protinus horrendo quatiuntur turbine Muri;
Atque faces flammæque micant, *Balistáque* mugit
Rauca, vaporiferos volvens in mœnia Scloppos.
*Eboracis* non illa tamen Crepitacula terrent
Vana, nec impediunt, Urbísve furoribus obstant.
Scilicet effractis violentior Inclyta virtus
Crescit, & admoto gliscit fiducia ferro.
Magnanimos nec claustra tenent: nempe Arva tueri
*Obsessis* spatiosa placet; nunc Sydere certant

* *Anglicè* A Battery.

Liberiore

Liberiore frui, ferro penetrare Phalanges
*Obſtantûm* cupidi, cinctiſque erumpere Portis.
Tæduit Obſidii Libertatiſque negatæ,
Dum Campos ſibi quiſque petit; Muríſque relictis
Surgere in Adverſos, trepidíſque laceſſere foſſis.
Nec mora, Prorumpunt; duplicique Indagine cincta
Mœnia tranſiliunt; Indignantéſque teneri
Vallibus; inviſos penitus flammantur in *Hoſtes*.
Non ſecus obicibus fruſtrà cohibentibus Amnis
Vociferis dominatur aquis, ruptóque meatu
Spumat, & eliſâ Scopulos circumtonat unda.
*Eboraci* haud aliter, rapidi atque Immane frementes,
Prorumpunt, animiſque nihil *torrentibus* obſtat.
Arma viri, Rapite arma viri; Jam clamat uterque
*Ductor*, & alternis ineunt certamina Turmis:
*Ambobus* velox virtus, ſimilíſque Cupido
Laudis, & Martem, Mortémque ſuperbia concors.
Turbidus excuſſis hinc * BALLANTINUS habenis
Sternitur *armipotens*, *Quem* vix CALEDONIA Tellus
Viribus immenſis diríſve æquaverat auſis.

* *Equeſtris Ductor expertiſſimus, qui cæteris & animi corporiſque robore præluxit.*

*Illius* Interitus docuit quàm ludicra Sors sit
Humanis & parva foret fiducia Rebus:
Námque lacessitos *Hostes* temerarius urgens
Dum tumet infelix, & formidabile fervet,
Expertus parvi quid possint *pondera Plumbi*,
Succubuit, totis *Bellator turbidus* armis.
Hinc DONNELLE Tuæ nota experientia dextræ
Eminuit *tantum* sternendo comminus *Hostem*;
* DONNEL, ab obscuris qui quamvìs (origine primo)
Natus Avis fuerat, generosum nomen ab Actis
Edidit, & Famam claris virtutibus auxit.
Sed nec Pugnaces SCOTI Ductore cadente
Despondere animos; Mortem truculentiùs Illi
Ulciscuntur enim, mandatáque fortiùs urgent.
Conflixère Pares Paribus; galea horrida visu
Adversâ ardebat Galeâ, Clypeúsque tremebat
Impulsu Clypei, confractíque ensibus enses.
Comminus hinc gladiis certatur, & eminus hastis;
Ocyùs hinc *Pedites* cursu rapiuntur anhelo,
Atque illinc *Equites*, ferratâ calce cruentant
Cornipides,

* *Dux strenuus sub Dominatione Comitis* Novi-Castelli.

Cornipides, qui ſponte ſua glomerantur in haſtas
*Obſtantum*; nec dum tanto cadit impete, " *Hybernus* " *Anglicè*, An Iriſh-dart.
Quod rotat excuſſo Jaculum ſublime lacerto.
Alipedes ſpectando viros, mirabere ſanè,
Mireris SALTUS, de *Parthorúmque* Pharetris
PICTARÚMque putes totidem exiliiſſe ſagittas.
Cautior at junctis *Exercitus* ibat ab armis;
*Patricius* prudénſque tenes Munimine turmas
Incolumes MANCESTRE tuas. Ut ovilibus agni
Stipantur, tutíſque latent Pecuaria Caulis,
Dum Leo perfrendens jejuno murmure, paſſim
*Perſequitur trepidam nemoroſa per Avia Prædam*
*Nocte ſub Illuni, & ſomno* Nictantibus aſtris:
Sed cùm clauſtra videt, redit in veſtigia, cœnæ
Irritus, & vacuo totus fugit æger hiatu.
Nec levior *Ductoris* erat vigilantia, multa
Dum virtute ſuà miſcet Stratagemata, fraudes
Et verſipellis vario ſub Imagine verſat.
Et nunc ut parvo graviora in damna periclo,
Eliceret, dabat interdum ſimulantia Terga
Obliquánſque

Obliquànſque ſuas ficta in ſimulachra Cohortes,
Sæpe laceſſitos ſpe *ſublactaverat* Hoſtes.
Nulla vacant Inçœpta dolis; verſatilis arte
Nunc premit inſtantes turmas, nunc Caſtra relinquit
Callidus, ut totos invitet Prodigus Hoſtes.
Non aliter quàm quì *Thameſis* per flumina ſparsâ
Evocat è vitreis Piſcem Penetralibus eſcâ,
Jam rapit; indè vagum ſollers exporrigit hamum;
Donec ineſcatum liquido ſub Marmore cernens
Piſciculum, virgam retrahit,ſinuatáque volvit
Serica, captivo ducens ad littora lino.

Hæctenus Incertas Fortuna utrinque virorum
Alternata *Açies*, dubio libraverat Iras
Eventu, & paribus *Mavors* indulſerat armis:
Nunc *Noſtri* ſua Terga fugæ trepidantia dedunt;
Nunc Illi verſis prorſus referuntur habenis.
Mitia ſic teneras cum ſternant flamina ſpicas,
Et vix maturas impellat ventus ariſtas
Multifido motu, lentè inclinata recedens,
Summa ſeges, nunc huc,nunc illuc, verſa faceſſens

Fluctuat, intonsis flectitque cacumina capsis.
Talis utrisque fuit *Salientum* tristis Imago ;
Et *Procursantum defensantúmque* furores.

Post varios tandem SALTUS redeuntibus ipsis
*Eboracis*, tutamque palam repetentibus *urbem*
Agmina ab Oppositis surgunt victricia Fossis.
Atque propinquantes Muris, obnixius Arces
Aggressi, subitísque ausi *rapuisse lacertis.*
Ergò expugnati DUCTOR stans aggere campi
Adderet ut rapidos turmis flagrantibus Ignes,
Talibus incessat, dictísque resuscitat Iras.
" * *Pergite Belligeri Socii, perfortiter oro* * *Comitis Mancestrensis Oratio.*
" *Pergite, & incœptos mecum revocate Labores :*
" *Si quid jam Priscæ superest virtutis, honestâ*
" *Nunc* CAUSA *proferte precor, virtutibus altos*
" *Exuperando Patres, meritísque æquando Parentes.*
" *Intactam servate* Fidem, Patriæque *Saluti*
" *Consulite, &* Libertati *succurrite lapsæ.*
" *Magnanimos vos ferte precor ; Perrumpite Muros*
" *Pectoris Impulsu, Jugulísque retundite ferrum.*

" *Ite per* Obsessos Hostes, *& vindice ferro*
" *Ite Triumphales*; Dexter Deus, horáque nostra est.
Hæc ubi blanda dabat Turmis Documenta vocatis
Hasta Comes dictis, & vocem facta probârunt;
Dum Primus rapidi nisus fastigia Muri
Exemplo proprio, quæ sint peragenda docebat.
Ac velut ignotum si quando Armenta per Amnem
Urgentur, stat triste Pecus (cogente Bubulco)
Attonitúmque stupet; donec vaga flumina *Taurus*
Primus init, *panditque vadum*, Tunc gratior unda,
Tunc faciles Ripæ, visæque accedere Terræ,
*Ductorem* dum ponè Pecus, formidine *merso*
Insequitur, mediisque ruit fidentiùs undis.
Incensi dictis animi, & furor additus armis.
Solvitur interea *Vallum*, primæque perosi
Stare Moræ sua jam prorsus *tentoria* mutant,
Primáque neglectis linquunt *Habitacula* fossis.
Jam *Ducis* Imperio procedit *Vinea* Muris
Dum propiùs pergit, Tabulatáque Mœnibus altis
Affigit, nunc Ima petit, Multáque *Fodina*

Scruta-

Scrutatúrque cavas cæcâ *Testudine Turres.*
Indè cavernosis substratò sulphure cistis,
Turbidus Aggreditur *Pyróque* trementia *Nitri*
Fundamenta quatit, certátque repagula *Muri*
Solvere, & excussis totum consternere saxis.
Sulphure sufflantur turres trepidæque vacillant:
Stratáque àb alterno certantia Culminà lapsu,
Nutabant, penitúsque suis fremuere Cavernis.
Fragmine mox facto, per hiulci viscera Muri
Ocyùs irrumpunt *Scoti*, *Regísque* vetustam
Intravere * *Domum* celsísque *Palatia* tectis.
Sed vix intrârunt Illi, quàm vindice dextrâ
Retrogrados tulerat, captísque fugaverat armis
Magnanimus Brierus, qui tunc exempla lacerti
Multa stupenda dedit, dum se fugientibus unum
Intulit, & truncis capulo tenus abdidit ensem.
Sed tandem densos (heu!) dum temerarius Hostes
Assilit, interiit Fatali saucius Ictu.
*Eboraci* sensere necem; graviúsque ferebant
*Illius* exitium quàm cætera fata cadentûm;

* *Quæ vulgò dicitur* The Mannor.

Præ Quo, ſi fulvo plumbum penſaveris Auro,
Lesleus haud tanti vel Scotia tota fuiſſet.
Parte aliâ, (nam multa dabat diſcrimina Murus)
Flumina trajecit *Miles*, fluctúſque ſonoros
Impavidus gladio ſubiit; ſtupet æmula tantos
* Ouza viros, nitidóque Armorum *incenditur* Igne:
Mireris *Saltus*, Expugnantúmque furores,
Sanguine dum miſcent fluctus, ſpumantibus Undis.
Purpureáſque efflant animas; ſic ILLE tumentem
*Tyrrhenum* labante manu pro Ponte repellens
Tranavit clypeo *Tyberim*, quo texerat Urbem
(*Tarquinio* mirante) Cocles, mediiſque minatus
*Porſennæ* moribundus aquis; ſub gurgite tandem
Plus & attonitos tremefecit Pondere fluctus.
Jámque *leneſcebat* vallatis Mœnibus *Hoſtis*,
Et gemuit Virtus toties Puduítque repelli:
" Ergò iterum Ductor Scalis conſcendere Muros
Imperat, & totas implere furoribus Arces.
Progreditur *Miles* & telis intonat Urbi,
Ad Muros rapido vertens veſtigia Curſu.

* *Flumen celeberrimum & Navigiorum capax.*

" *Deſcriptio Aſſultus, Angl.* A Storm.

Sicut

Sicut agit Noctis propiora Crepuscula seræ,
Præcipites volucres ad nota Cubilia cogens.
Scanditur *adverso* per Saxa minantia Nisu,
Et densâ resonant *Globulorum grandine* Turres.
Nec labor unus erat, tanti in molimina Cœpti,
Innumeræ crevere manus; quæ *Musa* lacertos
Armigeros referat? labor est numerâsse Labores.
*Hi* præfixa solo vellunt *Munimina*, at *Illi*
Robora *Portarum* rapiunt, & lignea sudant
Claustra remoliri validis innixa Columnis,
Mille simul dextræ, densúsque coïre videtur
Ensis, & alternæ nutare in casside Cristæ.
De Scalis nec cura fuit; dum turbine fuso
Dorsa supinantûm calcant, & strage cadentûm
Fossiculas augent, æquántque cadavera Muris.
Multi ibi multa suæ vestigia splendida famæ
Præbebant, notæque dabant Spectacula dextræ.
Quid "*Widdringtonum* memorem carósq; Dynastás, " *Dominus* Widdringtonus *Baro.*
Mandatis quorum steterant sublimiùs Arces
*Eboracæ*, tulerántque novas Munimina formas?

" *Major* Huddleſton *ab antiquiſſima* Huddleſtoniorum *Familiâ in Comitatu Cumbriæ oriundus.*

* Richardus Dakers *Eques Auratus.*

" *Huddleſtone* tuum magnum & memorabile Nomen
Quid memorem, qui pro CAROLO Patriæque ſalute
Occidis, æternúmque paras per funera Nomen ?
* DAKERUM taceo mutulatis vulnere membris,
Qui tandem cedens lentis cruciatibus ægram
Luctantémque animam *Patrio* demiſit *Olympo*.

" Franciſcus Cobb *eques Auratus.*

Sed *Tu* vivis adhuc, Tu præclariſſime " COBBE,
Digne ſerenatos tranſcendere *Neſtoris* annos :
Nempe ſub auſpiciis veſtris *Cliffordia* Turris
Hoſtibus intonuit, rapidis Baliſtáque ſcloppis
Sparſerat adverſis victricia Fulgura foſſis.
Nec vacuâ tantùm Mavors dominatur in *Vrbe*,
*Eboracos* inter Muros pugnatur, & extra :
Inter *utráſque acies* rabies, animosáque ſurgit
*Tempeſtas*, inſtar Pelagi, cùm *Pleiades* haurit
*Æolus*, & plenis involvit *Oriona* Buccis.
*Plumbificis pluit* aura globis ; ſubtexitur umbris
Terra *Bitumineis*, & *anhelo Sulphure* fumat.
Talibus urgetur variis *Vrbs* tota Procellis ;
*Obſeſſis* nec Lucis erat, nec noctis opacæ

Tempore

Tempore facta quies; studium gliscebat in Horas
Vindictæ, Bellíque recens accreverat horror.
Ergò *Expugnantum* cassis conatibus obstant,
Saxáque in *Adversos* Muris scopulósa rotantes,
Obvia *Saxipluis* consternunt Agmina *Nimbis*.
Sic ubi contigui scandentem culmina Clivi,
Victrices *Aquilæ* dirum aspexere *Draconem*,
Implumes Partus, & chara cubilia vallant
Unguibus, obstreperisque cient certamina Rostris.
Nec Minor *Eboracis* accessit cura tuendi
Mœnia, nervosis nec Propugnacula dextris.
Otia, nec Requies dantur, transmittere noctes
Insomnes coguntur enim, per mœnia fusim
Ac vicibus, alii, atque alii in statione reposti.
Sed vestrum GLENNHAMME decus per sæcula sera
Grande revirescet, nullóque abolebitur ævo.
Finitimæ non Te Gentes, non nostra tacebunt
Lustra, nec obscurum rapiet sub nube vetustas.
Mos erat Antiquis (*Nostris* utinámque maneret)
Casurum ut cujus servâsset dextera Civem


Candida

Candida *Chaonio* velaret Tempora fronde.
Victrici sed qui gladio jugulaverat ; aut qui
Impositis captum manibus comprehenderet *Hostem*,
Templa triumphali conscenderet Aurea Curru.
Tum vestrum *Glenhamme* Caput quæ *Civica Serta*,
Vel Tua pensabunt quantæ benefacta *Coronæ ?*
Quâ dignum T E laude feram, qui pene ruenti
Lapsuræque Tuos humeros objeceris *Urbi ?*
Cùm *Martis* sæviret *Hyems* nigrante Procellâ ;
Cùm Plumbi suffusa *seges*, & ferreus *Imber*
Attonito fremuêre Foro ; nil fessa remisit
Officii virtus, sed contra *undantia* fata
Fortior erigeris ; quassæ velut Arbiter *Alnæ*
Sæviùs *Ægeo* pelago quem versat Orion,
Atque *Tridentiferi* truculentior Ira *Tyranni* :
Colligit in tantis animum, mentémque Procellis
Pervigil, insanis státque imperterritus undis :
Jámque reformidans crescentem in Carbasa corum
Candida Roboreo substringit lintea Malo,
Atque *Gubernâcli flexu* devitat Aquarum
Verbera,

Verbera, nunc rectâ nunc obliquante carinâ,
Providus Oceani Cœlíque obnititur Iræ.
*Ænea* flammivomis jam tandem *Machina* scloppis,
Turribus intonuit, fusóque *Falarica* ferro
Fatali laceros labefecit Pondere Muros.
Undique corruerant *Ædes*, atque undique *Murus*
Debilis, horrendos laterum pandebat hiatus.
Repserat indè Comes magnorum prima malorum
Dira *Fames*, multísque aderant Jejunia Tectis.
Belliger attonsis *Sonipes* moribundulus herbis
Labitur, & tremulos abrumpit Poplite Gyros.
Contigit (Infandum! ) Strages lachrymabilis *Urbi:*
In nova dum *fluidum* traxit Contagia *Cœlum*
Infelix *Pestis*, miserásque excocta medullas
Fervida siccatas urebat Sanguine venas.
Lumina prima labant crasso gliscentia Tabo,
Oráque squamosis squallent arentia linguis.
Marcescunt Fibræ, justóque humore carentes
Aëris alternos angustat Pulmo Meatus.
Ocyus occumbunt Fato, Juvenésque Senésque,

Et

Et lepidi Infantes modò sano corpore, morbis
Correpti, mediis Matrum moriuntur in ulnis,
Animulásque vagas miseris cruciatibus efflant.
Et nunc Retrogradum Præceps tulit omnia *Fatum*:
Nec Spes *Obsessis* ultra reserata tueri
Mœnia, Semirutis vel *Propugnacula* Saxis.
Sed Totos novus horror habet, Mortisq; per omnes
Stat facies funesta Domos; Trepidantibus armis
Fluctuat *undivagum* Vulgus, tantísque procellis
Nunc optat differre moras, jam rumpere vitam
Desiderat, Lucémque *Petit*, Lucémque *Gravatur*.
Una eadémque furit totos *Formido* per annos.
Cura *Senes Juvenésque* subit, sparsámque per *Vrbem*
Squallida luctificis gemuerunt Tecta querelis.
Et *Miseris* quàm dulce mori est! ad Sydera Palmas
Dum tollunt tremulas Finémque *laboribus* orant.



METRI II. Finis.

De



# DE
# Obsidione Prælioque
# EBORACENSI.

## Metrum III.

Horrendos *Vrbis* gemitus, & flebile Fatum
Audiit Astriferi tandem *Moderator* Olympi;
Audiit *Orantum* Questus, Inopúmque *misertus*.
Indè *Machaonias* clemens admoverat herbas
Vulneribus, miserísque dabat medicamina Morbis.
Nempe fatigatis, & despondentibus ægras,
Seminecésque animas, Inopino Sydere fluxit
Auxilium, & mediis *Lux* circumfulserat *Vmbris*.
Sic infæcundo dum regnat ab æthere *Cancer*

Dirus hiulcatos, & torret *Sirius* agros :
Labitur, & coctis arescit flosculus hortis,
Lillia deciduis, languéntque Rosaria capsis :
Sed modò cùm fuerint roralibus humida guttis,
Et madefacta novi gemmato aspergine nimbi
Auriferas redeviva Comas, & molle cacumen
Exponunt, pictóque rotant fastigia Cœlo.
Jámque Repentinis *Princeps* celeberrimus Armis
*Obsessis* RUPERTUS adest; afflatibus implens
Ora serenatis, redevivàque Pectora firmans.
Gaudia quæ Populo dum spectatissimus altis
Montibus apparet *Ductor*, turmisque propinquis
Finitimos Pagos, vicináque Pascua complet!
Latis sicut oves tondentes gramina campis :
Vel cùm tripudiant in apricis collibus agni,
Eripiunt oculos numeris, & lumina condunt.
*Suppetiis* nec solus adest nudísve Catervis :
Nam nova congestis aderant Annona Canistris
Et Rhedis Frumenta novis; totámque per *Vrbem*
Candida graniferis tumuerunt Compita Plaustris :
Hordea,

Hordea, Farra, Foro quicquid venduntur, ad omnes
Atque Penu *Eboracos* quicquid conduxerit *Vsus.*
Jámque salutatis effunditur obvia Signis
Turba, & per medias rapienda ad gaudia Vulgus
Procurrit Plateas; totas undare videres
Turres, atque altas assurgere cætibus arces.
Templum erat excelso surgens super æthera Dorso
*Grande* * MONASTERIUM, quo vix formosius unum
(*Paulino* excepto & *Sarensi* vertice acuto)
Traxerat antiquis numerosa *Britannia* Templis.
Stat Cœlo sublimis apex, & sydera verrens,
Æmula vicinis fastigia conserit Astris.
Hujus in Ætherias certatim scanditur arces,
Clamantûm mugitque Fragor, dum culmina cuncti
Complent, & summis pendent cupida *Agmina* muris,
Noscere quæque Suos. Nudorum ut turba volucrum
Cùm reducem longâ prospexit ab arbore matrem
Pronior erigitur, summíque è margine Nidi
Extat hians, & tota cadet, ni Robore toto
Officit alma Parens, & amantibus erigat alis.

* *Quod vulgò dicitur* The Minster.

Et jam conveniunt Comites, & flebile narrant
*Obſidionis* opus tantæ, & diſpendia Belli
Enumerant, lætíſque *Suos* complexibus implent.
Hi plateas, agros illi, Muróſque reviſunt;
Alternant Alii excubias, vicibúſque recumbunt,
Dum celer admiſſis tranſcurrit teſſera Caſtris:
His labor impoſito torrere exanguia ferro
Viſcera cæſarum Pecudum: Diſcumbitur Illis,
Pictaïſque placet noctem tranſmittere *Chartis*.

Jámque parabantur Pompæ Simulachra futuræ,
Certatim coëunt Famuli; ſtrepit icta Tumultu
* *Regia*, Pars properat rutulos, auróque nitentes
Inſtaurare Toros, celsáſque inferre Tapetas.
Aſt alii Tenebras, & cæcam vincere Noctem
Aggreſſi, appenſis ornant laquearia lychnis.
Eripiunt Flammæ noctes; Incendia paſſim
Luceſcunt, ſpargúntque ſuas per tecta favillas:
Indulſere *Patres* Genio, & convenerat unà
*Burgorum* veneranda Cohors, Feſtamque per Urbem
Mirificè inſtructis celebrant Convivia Menſis.

* The Mannor-houſe.

Ac

Ac velut officiis trepidantibus ora Puellæ
Adveniente Proco, mater sollertior ornans;
Prima Comas sparsósque studet componere Crines,
Incessos docet indè novos, sandíque Pudorem :
Mox sua dilectâ Cervice monilia transfert,
Atque onerat nitidas gemmis fulgentibus aures.
Sic oculis placitura *Tuis*, dignissime PRINCEPS
*Vrbs micat*, & lætos sumunt sibi *Mœnia* vultus.
Heu quantum variata *Tuo* fortuna regressu,
Dum color atque calor vivus redit arcibus ægris,
Lætáque semirutis assurgunt Tecta Columnis!
Lætantur Juvenes æquævi *Principis* annos:
Spernunt Prisca Senes, & in *Hunc* se prospera Fata
Gratantur servâsse *Diem*. Quis Gaudia fando
Enumeret tanta, aut dignis conatibus æquet?
*Amphytroniades*, nec tantâ lætus *Iason*
Fronte reportavit pretiosæ vellera Terræ,
*Argolicóque* tulit fulgentia Poma Tyranno:
Vix nec *Amyclæis* sic tripudiavit Arenis
*Pastor*, ad *Idæas Helenâ* veniente Carinas.

O Longum

O longum memorande Dies! Quæ mente reporto
Gaudia, quæ fessos per tot Spectacula visus!
Quanta Coronatis fulgebant fercula Discis!
Quantaque *Pampineis* spumabant Pocula *Succis!*
Dum quisque *Augusto* libat Carchesia *Regi*,
Et CAROLI laudes totas CAROLIque *Salutem*
Acclamant genibus, cuncti obnixíque *Precantur*.
Anxius at variis transfixus Pectora Curis
*Obsidionis solutio.* Magnanimus *Princeps* casus præponderat altos
*Martis*, & ancipiti Formidine gaudia *librat*.
Ergò *Vrbem* peragrans Comitum stipante cohorte,
Itque, redítque vagus, rerúmque asperrima discit;
Copia quanta viris; Pubes sit quanta sub Armis;
Quod Muris Robur; quantis stant Mœnia fulcris
Rimatur, totásque studet sollertior Artes
Terrarum, stagníque simul fortissima lustrans.
*Principis adventus* adversis Fama recessus
Suadebat, *Ductor* dum KIMBOLTONEUS Heros
Integra subductis laxaverat Agmina Muris.
Non quòd pertimuit patulis confligere fossis,

*Principis*

*Principis* audaces vel *Marte* lacessere Turmas,
Sed Turmas recreare studet, sociósque recessu :
Providus observans motus, Campestribus errans
Colliculis, quid agat, vel quid decreverit *Hostis* :
Cautus in his saltem, Patriæque, Sibique, Suísque
Prospiciens Turmis ; atque in *Meliora* reservans.
Ergò ubi *Todcastri* per vicos Agmina duxit,
*Eboracis* patuere *viæ* tutique Regressus.
Indè Catervatim reseratis undique *Portis*
Exibant *Cives* per Pascua, Rura petentes,
Et sua finitimis deserta Mapalia sulcis.
Sic *Pandioniæ* repetunt ubi fida *volucres*
Hospitia, & veteres nidos ; Plaudentibus alis
Ædibus incumbunt alacres, mirúmque canentes,
Garrula blandiloquis fundunt modulamina linguis.
Non minus *Eboracos* subiit solamen, ovantes
Neglectos intrâsse Lares patriósque Penates.
Sed proh proclives lætis confidere Rebus !
Mollia proh nimiùm, tumefactáq; Corda secundis !
Heu Rerum Fatíque vices ! Proh lubrica Pompa
Gloriolæ,

Gloriolæ, vitæque simul monumenta caducæ !
Nam non EBORACIS lætari munere *Pacis*
In longum licuit; *Dolor*, & fugitiva *Voluptas*
Alternis redeunt vicibus, solamina luctum
Præcipitant, subitique struunt Primordia ati.

Tertia vix rutulis agitata Cubilibus, alto
Expulerat Cœlo piceas *Aurora* Tenebras
Rorantes excussa Comas, radiantibus Arvis
Agmina quàm *Adversis* Campo fulsere *Catervis*.
Agmina *utrique* parant fusis famulantia Signis
*Ductores*, justo & regerentes Ordine Turmas,
*Marstonico* vexilla locant victricia *vallo*.
" *Ingens Exercituum numerus, & Descriptio.*
"Quanta manus *Peditum*, numerúsq; infandus *Equorũ*
Creverat ? *Euboicos* citiùs numeravero *Fluctus*,
Vel Stellas, quoties *Picti* laquearia Templi
*Rector*, & expositis laxaverat Astra *Fenestris*.
Armato Montes, & valles, *Milite* tanquam
Vel nive, vel gelido de Cœlo Rore cadente,
*Undantes* licuit vidisse strepentibus Armis.
Stat Cuneis numerosa *cohors*; & fulgida ferro
Ingeminat

Ingeminat ſplendore *Diem* ; *Solèmque laceſſit,*
*Qui* radiis victus tantis, ſub nubibus ora
Texit, & obducto *Repſit* pudibundus Olympo.
Quadrupedante ſono circundatur undique tellus
Bigarúmque fremit, quadrigarúmque *Rotatu.*
Pulchra quidem, metuenda tamen ſpectacla; voluptas
Tanta inerat, gratúſque ſimul viſentibus horror.
*Bulleſcit Phaleratus Eques* ; Chalebæáque totis
Frena micant humeris, & ſparſa *Orichalca* coruſcant.
Quàm decora auricomis ſtelleſcunt Agmina criſtis !
Quanta coloratis præſtringitur Haſta Trophæis !
Atque *Olobrizato* ſurgunt Inſignia *Biſſo !*
Singula complecti mens eſt, ſed denſior inſtat
Materiæ Seges, abripimúrque ſequentibus Actis.
Tolleris armatis jam tu MANCESTRE Catervis
(Digne *Comes*) Comêſque Tuis; moderamine miro
Utque Hoſtes Armis, meritis ſic vincis amicos.
Agmina *Primus* habes; blandóq; hortamine mulcens
Pectora, moliris tantæ fundamina *Pugnæ.*
Nec minùs Inſigni micuerunt more Cohortes,

Qui ferro totæ indutæ, ſimulachra movêre
Credideris, *vivóqne* viros ſpirare *Metallo.*
Talibus Illuſtris multis formoſa figuris,
Et ferro munita *Acies*, longo ordine Belli
Conſtitit, *Adverſis* & ſe oſtentaverat *Armis.*
Nuncius attentas vix *Principis* impulit Aures
*Hoſtem* ferre gradum, propiúſque accedere Signis ;
Quàm rapitur præceps, lapsiſque citatior Aſtris
*Remigat*, & totas orditur Marte Cohortes.
Et nunc in *veſtras* quæ grata Poëmata laudes
Exolvam meritas, O Spectatiſſime PRINCEPS !
Non *Tu* deſidias molles, non marcida luxu
Otia, nec perdis primos Inglorius annos,
Mollia per rigidos exercens membra labores.
Jam juvat imbriferas vigilem tranſcendere Noctes,
Et galeis potare nives ; ſuperare ſonoras
Torrentum Furias ; nunc vincere concava curſu,
Nunc Montes, rupti & *nimboſa Cacumina* clivi.
Seu cùm ſcandis Equum, ſimulachráq; Martia tentas;
Quis celeres ſinuare gradus ? quis tendere Contum
Doctior ?

Doctior? aut subitos melior flexisse recursus,
Cornipedémque vago *lunare* in Cornua gyro?
Te nec *Iberorum* Domini, aut doctissima Pubes
*Itala*, nec *Galli* poterint æquare periti.
Si Ductor legeretur equis, optaret habenas
Vestras *Nereidum* stabulis deductus Orion.
Ipse tibi famulis serviret *Pegasus* alis,
Portarétque libens, & tanto pondere turgens
Bellerophontæas indignaretur habenas.
Quid moror? expositas nam jam certamine Turmas
Instruit, exerto & circumvolat *Igneus* ense
Pugnandi cupidas accendens voce Cohortes.
*Fulguris* haud citiùs radiis afflata Cupressus
Combibit ætherias exangui stipite flammas.
Quàm valido *Ductoris* ovans spiramine *Miles*
Infremuit, facibúsque novis flagrantibus arsit.
Indè velut *Tigris* primo *oblactata* cruore,
Per totum cupit ire Pecus; sic strage recenti
Et tepidâ sub cæde calens, violentiùs *Ætnâ*
Intumet, accensis nec sic furit *Unda* caminis

Coĉta, vel exuſto *Liquor* indignatur *aheno.*
Qui *Dominis* idem Ardor *Equis*, rapidique Jugales
Corpora ſeu mixti Dominis, Iráſque *Sedentum*
Induerint, ſic fræna ferunt, ſic Præl:a poſcunt
Hinnitu; & crebros *expirant* naribus *Ignes*.



METRI III. Finis.





DE

# Obſidione Prælioque EBORACENSI.

## METRUM III.

INgruerant Tenebræ Terris, aderátque redactis
Veſper opacus Equis; rauco quando ore cierunt
*Signa Tubæ*, & trepidas animàrunt *Claſſica* Turmas.
Cùm ſubitò *Pluvia* (*O taciti Clementia Cœli!*)
Solvitur in *lacbrymas*, Tempeſtatiſque propinquæ
Præſcia, præmonitis ploravit Fata procellis.
Horruit atratum Cœlum, & diſpendia mœrens,
Se prorſus furvo Nebularum obnubit Amictu:
Triſtiùs & ſolito *Titan* Temone Jugales
Diſtulerat,

Distulerat, Currúmque Polo rapiente retorsit:
Diriguere animis *Turmæ*; & præsaga futuri,
Mens sua quemque trahit, propiùs dum vergere fato
Degeneres metuunt mentes, Pejoráque versant.
Nil tamen ominibus PRINCEPS *megalopsycus* istis
Commotus, mediis stetit imperterritus Armis:
Adderet útque novos turmis flagrantibus Ignes,
Sublimi prævectus Equo (qui Cursibus Euros
Vincit, & Immenso propellit *Strymona* flatu)
Prominuit, Sociósque istis hortatibus auxit.

" *Hactenus O Socii! Superis in Cœpta Secundis*
" *Pugnatum est, nostrisque Bonus* DEUS *annuit ausis.*
" *Ergò jampridem victricia tollite Signa,*
" *Et veteres renovate manus quas Pristinus ardor,*
" *Et quas victrices Pridie* BELLONA *probavit.*
" *Vrbs* Lincolnensis *tota &* Lancestria *discat*
" *Victores novisse suos, notósque timere.*
" *Frustrà erit hortatus modò si* Boltonica *Fata*
" *Ad sensus trahitis, seróśque revolvitis actus.*
" *Hæc est illa Dies quæ* Regem, *quæque* Coronam
" *Reddet,*

" *Reddet, & emeritis decorabit Castra triumphis.*
" *Sed quorsum vestras aures Sermonibus istis*
" *Degravor, aut vanis impingo Pectora dictis,*
" *Quum satis innotuit quantis grassata lupatis*
" *Seditio, & trinis animosa* Licentia *Regnis.*
" *Cæde* Fides *mutulata gemit; Pietásque perosa*
" *Flebilis effusis luget laniata Capillis*
" Relligionis *honor parvus; Reverentia nulla*
" *Virtutis, Jurísque locum sibi vindicat Ensis.*
" *Cum Sceptris Delubra jacent. Proh vana Popellis*
" Libertas *promissa diu! Proh* Fœdera *diro*
" *Deteriora Jugo! Proh Servitute* Triremi,
" *Et mage* Turciacis *Servilia Jura* Catenis!
" *Appage Secticolas* Genovistas! *appage falsos*
" *Indigenásque* Scotas; *nostris procul esto Rosetis*
" Carduus *infelix; nec acutis Lilia Spinis*
" *Circundat, puróve ferat Zizania grano.*
" *Eheu cur steriles sic sic dominantur Avenæ,*
" *Atque inter Nostros sic instrepit* Anser OLORES?
" Presbyteri *malefida Cohors! Dicacula Turba!*

*Turba*

" *Turba gravis Paci, Regníque inimica quieti !*
" *Qui Bellum furiale tonant, & Bile tumentes*
" *Irrequieta novis infestant Pulpita soccis.*
" *Sed Vos* REGALES *Socii quos Cura gementis*
" *Relligionis habet, gladiis perrumpite vincla,*
" *Et* CALVINIACIS *subducite colla Capistris.*
" *Ergò tot Errorum Portenta, piacula Letho*
" *Reddite, nè Nostras obliment longiùs Oras*
" *Dogmata toxiferis passim grassantia Succis.*
" *Ante oculos, ante ora patent, pendéntque parata*
" *Ad gladios, uno tot Monstra rescindite* BELLO.
" *Nec mora ; nunc agite ; & validis incumbite dextris.*
" CAROLIDUM *reparate Decus, molémq; labantum*
" Regnorum *fulcite precor ; dabit* Iste *secundus*
" *Cuncta* Dies, *dabit* Iste Dies ; *mirúmque trophæis*
" *Sanciet hæc trinis Pacem* Victoria *Regnis.*

Hæc ubi dicta dabat *Princeps* generosa, boatu
Vocifero fremuere viri, clamoribus omnes
Et stimulant rapidas, acuúntque furoribus Iras
Illicèt *Igne Poli* lapsísque citatior Astris

Clade

Clade per *Adversos* rupit; rapidóque *Rotatu*
*Scotigenum* fusis prostraverat Agmina Signis.
Ast *Illi* exanimes gladiis horrore remissis
Terga *Fugæ* dederant, Leporum vel more Ferarum
A dorso rabidos quando inspexere Molossos.
Et nunc Primæ Acies versâ statione feruntur,
Retrogradæque ruunt primæ ad dispendia Pugnæ.
Ut Torrens rupti præceps de Culmine *Pindi*
Avulsum cùm *Montis onus* devolvit, hiatu
Scinditur attonito Tellus, fusimque fragore
Saxa repercussis regemunt Scopulosa Cavernis.
*Scotiacis* cecidit numerosâ clade *Catervis*
Non leviùs vesana lues. Cecidere cruentâ
Strage viri, quasi correptos juraveris Ictu
*Fulguris*, aut sorptos diro Telluris hiatu.
At vetus Armorum *Ductor* Leslei us Heros
Observando fugam, diræque pericula Pugnæ
Constitit attonitus, seu jam spe lucis ademptâ
Cùm stupet exanimata Parens, gnatique labantes
Necquicquam fovet extremis amplexibus artus.

Et nunc irarum stimulis, & motibus horrens
Inter utrasque Acies supereminet, & *Phaleratum*
Circumflectit *equum*, vultúque & voce minatus,
Talibus increpitans exasperat Agmina dictis.
" *Quò ruitis ? Quò terga datis ? Quis casus Inanis*
" *Vel timor incœptis sic vos* lymphaverat *ausis ?*
" Perficiosa Cohors, *quæ vos tremefecit* Erynnis ?
" *Siccine Servitium gravidum vel vincla misselli*
" (*Proh pudor !*) *armatis mens est præferre triumphis ?*
" *Infandum ! nullóque* nefas *delebile Seclo !*
" *Turpe quidem dictu, sed erit miserabile factu,*
" *Pejus, inarmatis dabitis si colla* Colonis,
" *Atque* Bidentifero *præbebitis* Arma Bubulco !
" Arma *quibus validas toties certamine Gentes*
" *Fudistis varias versísque fugâstis habenis.*
" *Vicistis, vicistis enim quando* ANGLIA *tota*
" TUEDA*que lethiferas in vos transfunderet Iras.*
" *Flebile* BARVICUM *ferò dominantia sensit*
" *Agmina*, Falciferos *&* *adhuc reminiscitur Enses.*
" *Nec* Dunelmnensis *fera nec* Northumbria *Tellus*
" *Profuit,*


" *Profuit, Inducias cùm flexo poplite Turres*
" *MORPETI peterent, & deditione subacta*
" *ORREA terribilis positis succumberet Armis.*
" *Sed si non animos vicina* Britannia *pungat,*
" *Atque hodierna nihil moveant Exempla, remotas*
" *Commemorate Plagas veterésque revolvite Pugnas.*
" *Quæ Regio in* Terris *vestri non plena lacerti ?*
" *Vestra* Palatinæ *memorabunt Agmina* Turres
" Brundusiæque *Domus cum stratis flebilis* ISTER
" *Fluctibus, & capto gemeret* Germania Rheno.
" *Vestra Salo crevítque Solo fortissima Virtus*
" Australes *referando Plagas, Portúsque* Orientûm,
" *Purpureísque notans glacialia Sydera guttis*
" T*inxit* Hyperboreos *numerosâ cæde* Triones.
Finierat tandem Sermonem *Ductor* inermem,
Frustráque molitus refugas revocare Cohortes,
Surdiùs auditas quæ curavere loquelas,
Quàm venti Rabies orantia *Naufraga* Ponto
*Vota*, vel insanos flectunt *Suspiria* fluctus.
Sic ubi Ruricolus *Pastor*, revocare fugaces

*Tinnitu* meditatur *apes*, quæ ſponte relictos
Deſtituêre *favos*, nunc fervens lignea pulſat
Vaſcula, ſuſceptúmque manu contundit *ahenum*,
Rauca repercuſſis miſcens crepitacula Sylvis.
Incœptum nec ſiſtit Iter, per Saxa, per amnes,
Per Juga conſeqitur, donec deſeſſus inani
Spe, revocat greſſus, & *Cerea Caſtra* reviſans,
Perfida conquiritur vacuis *Examina* Cellis.
His viſis turbatus EQUES, deflexit habenas,
Totáque mutato ſubduxerat Agmina Cornu,
Ni celer auſpiciis fuſi *diſpendia* Campi
CROMWEL, & amiſſæ reparâſſet damna Catervæ.
Námque (ut ſemper erat magnos *ſervatus in uſus*)
Degeneres abitus poſtquam turpéſque receſſus
*Scotorum* inſpexit, clarâ ſic voce cohortes
Illoquitur : " *Salus* Anglorum *ſpes magna* Senatûs,
" *Quique feri mecum millena Pericula Belli*
" *Experti* ; *nunc* Marſtonico *ſuperate* Duello ;
" *Communi proprios cum Libertate Parentes*
" Conſcriptóſque Patres, *iſtis defendite Campis*.
" *Accedunt*

" *Accedunt veſtræ Cœleſtia Numina* Cauſæ.
" *Dum vobis Tutela* DEUS, Ductórque Supremus,
" Nec deſperandum eſt tanto Duce & Auſpice tanto.
" *Et* Me *quod penes eſt Cœlum prius omne ſoluta*
" *In* Caput hoc *compage ruet*, *Tellúſque* dehiſcet
" *Quàm vos deſtituam* Comites, *vel* Cœpta *relinquam.*
Dixerat, atque ruens prima in certamina, dictis
Facta Fidem dederant; & vocem *Fata* ſequuntur.
Nempe manu metuendus adeſt, cladéſque rependit
Cladibus, & paribus diſpendia diluit auſis.
Anfractus vacuas, & *biulci* Fragmina *Campi*
Adductis reparavit Equis, per mille cohortes
Perrumpens mediæque terens glomeramina Turmæ.
Námque *globos Legionum*, & concurrentia rupit
Agmina, vulnificos gradiens intactus ad Enſes,
Atque per *Imbriferi diſploſa tonitrua Plumbi.*
Turriger innumeris *Elephas* ſic cinctus ab Armis
Erigitur, ſpumíſque Iræ furialibus undans
Ferrea nodoſo regerit venabula dorſo
Torvus, & Obſtantes Bellantum proterit haſtas.

Indè *Sinistrorso* ut disparserat Agmina *Campo*
*Mancestrensis Eques*, Bellíque per ultima fudit
Acta, per extremas levis *Armatura* Cohortes
Insequitur, pressúmque gravat truculentiùs *Hostem.*
*Adversam* ut PRINCEPS videt increvescere *Pugnam*,
Incursúque timens, nè *Frons sibi* prima labaret,
Ocyùs illatis aciem munivit ab Armis,
Inque *Latus* Belli, quà se ferus Hostis agebat,
Immisit subitum duplicatis Cornibus Agmen.
*Utraque turbatis* coëunt mox Agmina Signis;
Nec Pugnæ facies coëunt sine more, vel, Arte.
Insanas veluti Præceps cùm comminus egit
Ira *Sues*, strictísque erexit Tergora Setis:
Igne tremunt Oculi; lunatáque dentibus uncis
Ora sonant, spumísque madent; stat rupe remotâ
*Venator* pavidus, canibúsque silentia suadet.
Talis *Belligeras* rabies fremibunda *Cohortes*
Cœperat, accensásque alternâ cæde calentes.
Illa fuit feritas; fictis componere vera
Si licet, & *Superis Hominum* conferre furores;

Non secus Insanos *Phlægrâ* tollente tumultus
Martius incaluit *siculis* Incudibus Ensis.
*Everso* juvat *orbe* mori: Victoria cunctos
Auxit, & immensis animos *afflaverat* ausis.
Idem Ardor cunctis *alienum* navisse cruorem
Quàm fudisse *Suum*, steterant dum margine in uno
Spes audáxque metus, pariter sternúntq; cadúntq;,
Alterníque animas sævo in mucrone relinquunt.
Casus agit virtutis opus; nunc Turba recedit
Nunc redit, ac vicibus Tellurem perdit, & aufert,
Sic ubi divisos agitet discordia ventos:
Hinc fremit Iratus *Boreas*: hinc nubifer *Eurus*
Transtra sepulta trahit lacerisque *Applustria* malis
Donec *tota Ratis* surgentibus anxia Spumis
Distrahitur, mersæque labat Fortuna Carinæ.



METRI IV. Finis.

De



# DE
# Obſidione Prælioque
# EBORACENSI.

## METRUM IV.

HÆctenus ambiguus, ſteterátq; incertus ab alta
*Nube*, quibus ſeſe *Mavors* indulgeat *Armis*;
Atque facem quatiens, & flavas ſanguine multo
Sparſa Comas, medias *Acies Bellona* pererrat
Neſcia cui *gladio* felix, cui cederet *Haſtæ*.
At poſtquam in *Pedites* fatum miſerabile belli
Incubuit, ſubiti contorto turbine Campi
Agmina cæca ruunt, vultúſque umbrante Tumultu
In ſe conversis deſævivêre lacertis.

Stringitur

Stringitur insanum per mutua vulnera ferrum,
Quósque eadem variis genuerunt viscera fatis,
Fratribus incurrunt *Fratres*; Gnatisque *Parentes*,
*Cognato* miseras scelerantes sanguine Dextras,
Hostis uterque furens cupit exoptátque Cruorem,
Et nescit manare suum: nec tela furori
Sufficiunt; desúntque animis Pugnacibus Enses.
Ergò Inopes gladii, *Ferrum lethale* revulsum
*Visceribus* traxere *Suis*; tam prodiga virtus
Intumuit, tantúmque feri *Fiducia* Fati.
Glandibus excludnnt *Solem*; stant ferrea Cœlo
Nubila, & excusso torpescunt Sydera Plumbo.
Sternitur alternis trepidus concursibus Hostis,
Perdiderántque manus spatium: nec morte peractâ
Arctatis cecidisse fuit, dum sese vicissim
Incumbunt, presśóque teruñt sub *Pectore*, *Pectus*.
Nec *Furiis* opus est; tantùm mirantur, & adstant
Plaudentes, *Hominúmque* dolent plus posse *furores*.
Taliter infremuit collisis Ictibus omne
*Marstonense Solum*, Sylvæ, Colléſque propinqui.

Nec sic *Cyclopum* strepuit Mons *Ætna* lacertis
*Nostra* nec Innumeris sic *Bromijamia* Fabris
Horruit, alternis Famuli cùm Brachia tollant
In numerum, vicibus versantes *forcipe Massam.*
Extimuit *Natura Chaos* : *Summúmque* putares
Illuxisse Diem ; dum Cœli signifer *Atlas*
Horruit, & trepidâ *Molem* cervice remisit.
Quis valet, O *Musæ* ! paribus tot gesta Camænis
Pandere, vel dictis *Bellantum* æquare furorem ?
Non si *Mæoniæ* fuerit mihi suada loquelæ,
Sive *Sophoclæo* reboarem Bella *Cothurno*,
Explicuisse queam Cædes quot *dextera* magni
*Principis*, aut mâgis *Adversæ furor edidit Iræ*.
Sanguinis omnigenum rorali aspergine tinctum
Erubuit *Ferrum*, liquefactáque fulgure Cuspis
Canduit, & crassis fluxere vaporibus Enses.
Et nunc in miseros Pensum fatale *Sororum*
Scinditur, & tetricæ rumpentes stamina Parcæ,
*Regali* roravit humus perfusa Cruore.
Jámque inter tantas *Acies*, & stragis *acervos*

Tu

Tu * *Phennixe* cadis, primis animoſior auſis ;
Nempe ſtudens validâ memorandam condere dextrâ
Virtutem, rapidi correptus turbine Belli
Occidis, Infandúmque peris Juvenilibus annis :
Nec ſolus ſine cæde cadis : Mortem nec inultam
Quod ſupereſt de *Luce* ſinis, dum vindice dextrâ
Obruis Obſtantes *Hoſtes*, Teſtéſque *Catervas*
In Tua Fata trahis. Subitò ſeu *Fulminis* Ictu
*Eſculus*, aut variis ſucciſa Bipennibus *Ornus*
Nutat adhuc, tandémque ſolo lapſura, recumbit,
Vicinóſque operit ſpatioſo ſtipite truncos.
*Poſthumus* occumbens *Marti* cadit Hoſtia " *Kirton* :
Et moreris *Kirtone tuo* mœſtiſſime * *Prideux*,
Indignúmque putas *Socio* ſupereſſe *Cadenti.*
Ipſe vel inſano jamdudum fervidus æſtu,
Et partâ jam laude tumens Conſortia Famæ
Ambiit, extremiſque ferox *comes* ibat in actis.
Omnino vixere *Pares* ; ſociatáque toto
Mens ævo, ac partis felix *Concordia* rebus.
Optabunt *ſimiles* venientia Sæcula *Fratres.*

* *Brigaductor Equeſtris.*

" *Poſthumus* Kirton *Vicechiliarcha.*

* Prideux *Colonel.*

I 2 Fœdus

Fœdus *amicitiæ* tantæ mirabitur Ætas
Postera, & æternis celebrabit Nomina Chartis.
Et *Me* quod penes est notas in Carmine laudes
Ipséque belligeros, ad *Manes* prosequar actus.
Eheu Fata Bonis, & sors felicibus ausis
Rara Comes! Primis nam vos cecidistis in annis,
Integra Fatidicæ dum rumpant Fila *Sorores*.
Sic vix verna novis exspirant Purpura Pratis,
Explicitásque Comas per prima *Crepuscula* pandunt,
Quàm vaga deciduis vergunt *Colocosia* capsis,
Pubentésque Rosæ primos moriuntur ad *Ortus*.
Heu Tibi mœrorem quantùm dignissime *Kirton*
Debeo qui pariter *Socius Fratérque* fuisti
Charus & à tenerâ steteras spes ampla Juventâ!
Proh Mortis lugubre genus! dum scissa *Bipenni*
*Tempora*, ab *excusso* penitus patuere Cerebro!
Solvitur omne Decus *Capitis*; per candida colla
Tabificus cruor it, frontis populatus honorem
*Ambrosiæ* cecidere *Comæ*; violatáque cervix
*Marmoreum in Jugulum* collo labente recumbit.

Occidit

Occidit è contra, quo vix generosior alter
*Magnanimus.* * *Fairfax*, qui pulchrâ laude tumescens, * Carolus Fairfax.
Filáque contemptæ cupiens abrumpere vitæ
Ense per Imbriferi metuenda pericula Plumbi
Corruerat, puduit cumulóque deesse Cadentûm.
Sed quis ' *Candici* decus Illustrissime vestrum ' *Comes* Novicastrensis.
Exponet, tantúmque trahet sub Carmine *Nomen*.
Quis Laudes " *Gorinæse* Tuas? * *Byrone* quis actus " Goringus. * Byronus.
Vel ' *Tiliarde* tuos? quis qui " *Tilsleia* Facta ' Tiliardus. " Th. Tillesus *Eques Auratus.*
Carminibus referet? " *Marmaroducósque* Triumphos? " Marmad. Langdalus *Eques Auratus.*
Ipse licèt *Phœbus* centeno pectus hiatu
Solvat, & innumeris reserat Penetralia Portis
Dissimilis, tantísque forem Conatibus impar.
Ergò parùm *Æonides* nostro indulgete labori,
Ut nota æternis tradamus nomina Chartis,
Et meritum tantis Ducibus sacremus Honorem.
* *Leppingtonus* obit ferus & ' *Lamptonus*, alumni * *Comitis* Monmouth. *Filius.* ' Guilelmus. Lampton *Eq. Auratus.*
Et varii *Martis*; Quorum stant nomina Cœli
Clara *voluminibus*, supero & signantur *Olympo*. " *Major* Lisle, Georgii Lisle *Frater.*
Quid Te " *Lisle* moror? quid Te Clarissime " *Wentworth*? " Guil Wentworth *Eques Auratus.*
Correptum

" Richardus Gledhil, *Eques Auratus.*
* Guilielmus Wentworth, *Eques Auratus. Prædicti* Wentworth *Filius Invictissimus.*

Correptum fato quid Te " *Gledhille* revolvam ?
Nec * *Gnatum Wentworthe* Tuum Clarissime Miles
Prætercam, mancis qui plumbi vulnere membris
Constitit, intrepidísque decus Virtutibus auxit.*
Inter quos lento mutilatus vulnere, tandem

".Evers *Baro:* Everi *de* Maulton *Filius, &* *Colonel. Præclarissimus.*

" *Everese* cadis; nec Te prænobile stemma,
Prosapiésve Tui flectunt Oracula Fati.
Inter mille viros, Titulis generosus avitis

* Thomas Metham, *Eq. Auratus.*

* *Metthamius Miles*, (si rectè audita recordor)
A *Fairfaxe* dato, fatali corruit Ictu.
*Fairfax* Ille Virûm & summus *Brigaductor* Equorũ,
Spectandum qui tum Se multâ strage Cadentũm
Fecerat Innumeris perfuso cædibus Ense;
Obstantes virtute premens, *Propriæque Salutis*
*Immemor*, attonitis egit miracula Turmis,
*Obvia fulmineo* dispergens *Cornua Cursu.*
Sic, sic Civili spumavit sanguine Tellus;
Ingemuítque simul, primo mutata Colore:
Quæque *virescebant* manè Pudibunda, *rubebant*
*Pascua* Purpureis passim plorantia guttis.

Sed

Sed vos felices lethi ! ſempèrque beati,
Quos amor & Regi *pietas* in tanta vocavit
Funera, & Electos *Patrio* ſtabilivit *Olympo* :
Ite *Triumphales Socii !* Vos ite perempti
*Pace Beatifici, cunctiſque quieſcite Bellis.*
*Aſtriferi vos Cædis honor*, Vos læta morantur
Sæcula, ſed noſtros eheu ! Fortuna tumultus
Verſat adhuc, caſúſque vetat noviſſe futuros.

Nox erat ; & Tenebræ ſeræque umbracula Lunæ
Per vaga Pacificos ſpargebant Sydera Somnos.
Et Felix nox *Illa* fuit ; nam, ſi modò *Phœbe*
Fulſiſſet, trepidis & non *repſiſſet* ab Aſtris,
Extinctas *totas acies, totáſque jacentes*
Vidiſſet *Cœleſte Jubar* ; ſed RECTOR *Olympi*
Flectere Fata volens, *miſeráſque abrumpere Pugnas*,
Extremum cælavit *Opus* ; Cœlúmque retexit,
Grata laboratis referens oblivia Turmis.
Et nunc Strage, *Die* dempto rareſcere Campus
Cœperat, & gladiis (in ſe redeuntia) junctis
Curvo paulatim ſinuari *Cornua* Ductu ;

Inſuper

Inſuper *Eboracis* animis in *Principe* lapſis,
Seu truncus Capitis fuſis *Exercitus* armis
Corripitur; paſsim nullo ſe *Cornua* flectunt
Ordine, confuſim *Pedites* per opaca vagantur
Rura, per Ignotos diverſo tramite Pagos.
Sic ruit in Scopulos amiſſo Piſce Sodali
*Cetus*, ſulcandas cui prævius inſtruit undas,
Immensúmque Pecùs parvæ moderamine Caudæ
Edocet,& tanto conjungit Fœdera *Monſtro:*
*Bellua* ſed tandem fido diſ-juncta Sodali,
Progreditur Rationis inops; vitánſque profundum
Sub brevibus Captiva vadis ignara reverti
Palpitat, & cæcos Scopulis illidit hiatus.
Non *Turmis* minor horror erat fugientibus ipſis
E Campo *Ducibus*, trepidámque petentibus *Vrbem.*
Pugnantûm *Pars quarta* perit; ſuper ipſa ſuorum
Corpora conſiſtunt alii, calcántque gementes.
Mille modos lethi, varii & ſpectacula Fati
Illa *Dies* dederat. Sciſſo *jacet Ille* lacerto:
Claudicat *Ille Pede*, & mutilatis vulnere Membris:
Vulnifico

Vulnifico *perit hic* transfixus ad Ilia ferro;
Quà calidum Jecur admotis Pulmonibus hæret.
Occidit hic gladiis; alii at *Tormenta* Cerebrum
*Bellica* discutiunt, truncúmque in Pulvere sternunt.
Et nunc *Cornipedes* ægra & moribunda trahebant
Ilia, fatali perfossa Cadavera ferro,
Arváque Sanguineo scribunt rutilantia Gyro:
Dorsa simul totis terebratáque Pectora telis,
Et stetit incertus flueret *quo vulnere Sanguis.*
Pulverulenta suis operitur terra Maniplis:
Et modò qui faciem *Pedibus* calcaverit, *Ore*
Oscula figit Humo; fusísque amplectitur *ulnis*
Compita fusa jacent Tabo stagnantia; nec sic
*Æoniæ* rubuere Jugæ, cùm *Penthea* ferrent
*Mænades*, aut rapido mutatum *Actæona* Cornu
Traderet iratis *Latonia Virgo* Molossis.
Nec sic irrumpit *Simois*, cum Montibus *Idæ*
Nigra cruentatus produceret Agmina *Memno*:
Nec Ganges cùm Tela procul vibrantibus *Indis*

Degeneres satiant, quò plùs fera Bella timebant
Ante Tubas dudum miserandas cædibus Hostes
Dum jugulant, strictísque *Odium mucronibus explent.*
Pars alia *Harpyeis* similes squallentibus alis
Cuncta super volitant, corvorum more rapacûm,
Cæsa cruentatis laniántque Cadavera Rostris.
Hi morientûm oculos, & adhuc spirantia vellunt
*Lumina*, truncatos alii rapuere lacertos:
Nec secus accedunt quàm cùm *Massyla* per arva
Immensos Tauros, clari stravêre *Leones*;
Contentíque abeunt; tunc rauci comminus *Ursi*,
Tunc rapidi venêre *Lupi*; rabiéque remissâ
Lambunt degeneres *alienæ* vulnera *Prædæ.*

Tertia ut exorta est *Aurora* rubentibus arvis,
*Ductoris Jussu*, passim fluxere Coloni,
Ut truncos tumulent inhuméntque cadavera Bustis.
Jam Matres, tristésque Patres, adsúntque Puellæ
Funera Amicorum flentes; singultibus Æther
Stridet, & attonitæ resonant ululatibus auræ.

Et nunc circumstant *Cæsos*; Pars corpora charis
*Fletibus irrorat*, lachrymisque humectat *abortis*.
Pectora demulcent alii; *libatáque* crudis
*Oscula* vulneribus figunt, cæsósque queruntur.
Flumineos sic mæsta lares, orbósque Penates
*Halcyone* moribunda gemit, cùm Pignora sævus
Ventus, & Implumem rapuit *Thetis* æmula Prolem.
Quot tristes illic *Viduæ*, mœstique Parentes
Occisis Natis, dilectâ & Prole peremptâ
Orbatam referent misero in squallore Senectam!
Horresco referens, & *vox mihi Faucibus* hæret.
*Melpomene* ergò sile, nec longius ægra *Britannum*
Fata recumbantûm tractes; quia vulnera jam vi
Sæva recrudescunt, minimos horrentia tactus.
Spirat adhuc *Lethale Solum*, & *Marstonica Tellus*
Mœsta execratur gemitu *Civile Duellum*,
Quo periêre Hominum plus *septem mille cadentum*.
Finitimóque isti degentes *Rure Coloni*
Singultant hodie; gemit, & funestus *Arator*

Vomere

Vomere dum *Truncos* ſecat, & Dentalibus oſſa
*Semiſepulta* virum *Sulcis Cerealibus occat.*
Et nunc quanta *Tuis* ſurgunt Præconia Factis
Digne *Comes*, magníſque micant animoſa *Trophæis!*
Macte *Bonis animi!* cujus per ſæcula ſera
Fama revireſcet, nullóque tacebitur ævo.
*Cujus* Pacato ſtruxerunt Pectore Sedem
*Blandus honos*, hilariſque tamen cum Pondere *Virtus.*
Ipſe verecundus vanæ Crepitacula Famæ
Deſpicis, & Plausûs ſtrepitus faſtidis inanes,
Inque *animis* Hominum Pompâ *meliore Triumphos.*
Quâ dignum Te *Laude* feram? quo tramite veſtrum
Ad Decus inſurgam? vel quæ Primordia ſumam?
Non equidem Tantum *Romanæ* clariùs Arces
Suſcepêre *Ducem*, nec cum cedente rediret
*Fabricius*, *Pyrrho* nec cum *Capitolia* Curru
*Pellææ* Domitor *Paulus* conſcenderet *Aulæ.*
Ergo tolle *Caput*, non conceſſure *Quirino*
Laudibus, & meritis non conceſſure *Camillo*

Tolle

Tolle Caput celſo & ſublimiùs inſere Cœlo.
Et dum Fata ſinent noſtris requieſcere Terris,
Sume T*riumphalem* vittam, & *victricia Serta*
Quæ *Pallas* debétque Tuis *Bellona Capillis*.



*FINIS.*



*Miscellania quædam*

# EJUSDEM AUTORIS.

Quibus etiam accessit,

# THRENODIA

*In MEMORIAM*

*Ferd. Fisheri* Turmæ Equestris Præfecti.

---

A Domino *PETRO* de *CARDONNEL*
DECANTATA.

---



---

*LONDINI*,
Typis *Thomæ Newcomb*, M.DC.L.



# AD
# Spectatissimum Virum
## D^num ALONSUM
## De CARDENAS, &c.

MAgnorum laus alta Patrum! qui Gentis *Iberæ*
Et *Regis* mandata Tuo sub Pectore volvis,
Pone precor Radios, gravidóque assuete Cothurno
ALONSO nostras da posse accedere Musas:
Da faciles aditus, da sæpiùs alma tueri
Lumina, & attactæ defigere *Basia* dextræ.
Tu Musas, *Vatèmque* fove; Quem Copia tanta
Vestræ laudis agit; quæ pars aptissima Plectris
Hæreo, nec novi quæ jam Primordia sumam.

Seu novus Hyblæis cum jam de montibus omnes
Induit annus opes, & se nitidissima cingens
Floribus auratos *Natura* resumit amictus:
Ecce per effusos turmis coëuntibus agros
Florilegæ cunctantur apes, quà Sydera parte,
Quid primum gustare velint violaria, turmis
Num prius obsideant, tremulóve Rosaria succo.
Unde ego virtutes tantas languentibus alis
Assequar, & fidibus parvis ingentia pandam?
Nescio quid mirer, quòd noto à Fulmine Belli
Certiùs in propriis Pacem firmaveris Oris.
Quòd nihil in nostro Regnorum Turbine Tete
Feceris indignum; tanto Populíque tumultu
Ipse quòd incussus steteris; dum pondere justo
Omnia collibras animi, Téque omnibus unum
Objicis attritum curis; Quæ Brachia centum
Quis *Briareus*, Hydra aut (vario crescente cerebro)
Tot simul objectis possit confligere Rebus?
O quoties! tenero cùm nondum *Phœbus Eoo*;
Æquoreis remeâsset aquis, quæ Turba *Clientum*

Ante

Ante *Fores* resonis ambibant atria votis?
Cinctus ab Agminibus Quorum *Tu* fronte serenâ
Accipis omnigenos; nec *Te* licèt undique Curæ
Circumagunt, vigiléſque jubent tranſcurrere noctes,
Vidimus irato ſtringentem lumina vultu.
Nec Pectus terrena movent, externáque frangunt,
Dum mens emergit per tanta negotia felix
Par ſemper ſimiliſque ſui; ſic Plurima quanquam
In mare ſublapſos detrudunt flumina fluctus,
Hoc *Nereum* ſentire pudet, nec ſurgit in altum
Plenior, aggeſtâ aut ſtagnat torrentior undâ.
Tale meas *Æquor* Populis; *Exemplar* honeſti;
Virtutum manifeſta *Pharos*; venerabile *Pignus*
*Angligenis*; celſis & gratum Numen *Iberis*.
*Quem* non ambigui Faſces, non mobile Vulgus,
Non Enſes, non Caſtra movent; ſublimior omni
*Qui* vitio menti certas imponis habenas,
Spémq; Metúmq; domas, animi candore triumphans.
Nec Tibi veſanos Scelerata *Licentia* luxus
Suaſit, nec pravi ſequeris veſtigia Secli.

Te

Te Pietas nullo docuit livescere fuco;
Nunquam falsa loqui, nunquam sub pectore viru.
Condere, vel lætam fraudi prætendere Frontem.
Nec Te blanda quies, nec Te nocitura fefellit
Luxuries prædulce malum, quæ obnoxia semper
Corporis illecebris, hebetat caligine sensus,
Membráque *Circæis* evirat mascula filtris.
I decus afflictæ *Tu* felix *anchora* Terræ,
*Lex* Patriæ & *Lux* alma Tuæ! Quem stamine longo
Fata dies meliora ferant, cui prodiga Vitæ
Sors fluat, atque alios designet *Iberia Laurus*.



In



# IN
## Eruditiſsimi Ornatiſsimique Viri
## D^ni *BENLOSII*
# THEOPHILAM;
## Obitérque
## De Nonnullis Opuſculis ab Ipſo
## Elucubratis.

—HEderis nec egent vænalia Vina : (ſcant.
Sàtque ſuâ Gemmæ genuinæ luce coru-
At, *BENLOSE*, meam nè dedignere Thaliam,
Neve coli leviore Lyrâ, Fidibúſve remiſsis.
Craſsiùs obſcuris interdum cingitur aſtris
Stelliferi *Regina* Poli ; vicináque ſerpit
Inter honoratas infelix Spina *Cupreſſus*.

Muſarum

*Musarum, Martísque* Decus! Quem *Pallas*,& Ipsa
*Castalii* LUCINA Chori de Matre cadentem
Sustulit, appositis admovit & Ubera Mammis.
Annè novi veterísve priùs Monumenta revolvam
Ingenii? an Tragicos superantia Carmina Soccos,
Atque *Sophoclæis* numerari digna *Triumphis*?
Quàm bene vivificis depingitur Artibus *Echo*?
Quàm bene monstriferas Vitiorum discutis Hydras?
Carminibúsque doces, quantùm peccaverit Ævum,
Quanta Polucephalis repserunt Agmina Sêclis?
Sphinge *Theològicâ* quæ dìa Poëmata pangis!
Pectine dum volucri perstringis cuncta, facetis
Ingenii salibus *nodosa Ænigmata* solvens.
Ista revolventem me totum corripit ardòr
Entheus, en strato videor discumbere Olympo
Et *Ganymede* novo, porrectâ sumere Dextrâ
Immortale Merum, quod tu, *BENLOSE*, ministras.
Nec Vitæ pars ulla perit; nec transigis unam
Ingratam sine *luce* Diem: dum pervigil Artes
Exantlas, avidísque bibis Permessida labris.

Hinc

Hinc alii redeunt *Fructus*, aliíque *Labores*
*Typographis*, & *Te Dominum*, *Vatémque* ſtupeſcunt.
Jámque, velut primo *Phœnix* revocatus *Eöo*,
Apparet noſtris nova *Sponſa* THEOPHILA Terris
Gemmiferis induta vadis, nitidíſque Smaragdis
Quæ tulit auratis *Tagus* & *Pactolus* arenis.
Illius è roſeis flammatur *Purpura* Malis,
Et Gemmis lux major ineſt, & blandius Aurum
A Calamo, *Generoſe*, Tuo; dum Dotibus amplis
Excolis, Ingeniíque Opibus melioribus ornas.
Lactea Riphæas præcellunt Colla Pruinas;
Fronte Decor radiat, ſacróque Modeſtia Vultu:
*Suada* verecundis & *Gratia* plena labellis
Aſſidet, & caſti mores imitata Poëtæ
Te *Dominum* fuſis *Sponſúmque* amplectitur ulnis.
Hiſce triumphatrix decorata T*heophila* Gemmis,
Celſior aſſurgit, Mundúmque nitentior intrat,
*Virgineis* comitata *Choris*, quam tramite longo
Agmina *Cecropiis* ſtipant *Heliconia* Turmis.
Non aliter quoties adremigat Æquoris undas,
M Extre-

Extremúmque petit Phœbæa Cubilia *Tethyn*
Frænatis *Neptunus* Equis : fluit ocyùs antris
*Nereidum* Gens tota ſuis , Dominúmque ſalutant
Mollia cæruleo figentes oſcula Collo.
Felix Tu tali *Sponsâ*, BENLOSE, beata
*Benloſio* Tu *Sponſa* Viro Laus cujus in Orbe
Clara revireſcet, nullóque abolebitur Ævo.



A D






## *Ad Amicum mihi Chariſsimum* H. D.

*Soamenſmli eris Socios habuiſſe*——

FLorida contiguis coaleſcit frondibus arbor:
Sed modò marceſcens, & mox moritura fatiſcit,
Vicinis viduata comis. Sic triſtis hirundo
Dum ſocio deſerta ſuo, quàm mœſta Caminis
Sola ſedet, caſſis & provocat aſtra querelis!
Sed tandem conſorte ſuo redeunte, vagatur
Per vacuum, & ſcindens ſublimibus æthera pennis,
Mirifico humanos mulcet modulamine ſenſus.
Sollicitudo animi peſtis, vacuæque Cavernæ
Carceris, obtenebrant mentem, morbóſque trahentes

Squallida luctificis glomerant præcordia curis.
Sed ſugat ærumnas iſtas præſentia Amici
Societáſque tui; alternis levis acta videtur
Sarcina ſuppetiis; ſic, ſic, conſortibus æquis
Atque Sodalitio Comitum & conamine collo
Mœſtitiam leviore feres, ſociiſque jocoſus
Languida reciprocis ſolabere corda Camænis.



# Epitaphium.



# Epitaphium.

Thesaurum sub hocce Marmore (*Lector*) habes Locupletissimum.


Scilicet, { *SAMUELEM*, *ELIZABETHAM*, *SAMUELEM*, } Alterúmq;.

*Tres Liberos Pientissimi Viri, Dom.* Th. M. *hujusce Ecclesiæ Rectoris; Qui quidem ad balbutientis Ætatulæ Curriculum nedum anhelantes vicatim fato succumbebant, & sub hoc Marmore suaviter obdormiscunt.*

SIste gradum, spectésq; precor plorabile Bustum:
Quod tegit imposito *Pignora Trina* Rogo;

Filiolos

Filiolos hìc cerne *duos*, *Gnatámque* tenellam
Fata Novercali *Quæ* rapuere manu.
Infantilis enim vix primis vagiit annis
Ætas, vix cunas deseruítque suas,
Quàm perit, *Auroræ* seu primo vergit in ortu,
Retrogradísque ruit versa *Quadriga* Rotis.
Sic citò collapsis torpescunt *Lilia* culmis,
Quæ modò gemmiferas explicuere Comas.
Sic matutino rubicunda *Rosaria* pallent
Sydere ab auspiciis Immoritura suis.
O duram *Lachesin* ! Fati heu Monumenta caducæ
Vitrea ! nimbifero mobiliora *Notho* !
Dum *Vita* in rapidas seu solvitur *Halitus* auras,
Vanáve concussæ bulla facessit aquæ.



*Epithalamium*



# Epithalamium

## In Connubialia Avunculi Chariſsimi Col. *TH. TOMKINS*, & Nobiliſsimæ *LUCIÆ NEALI*.

SOL qui quadrujugo metiris Sydera Gyro,
Cingis & effuſi flammantia Mœnia Mundi,
Sparge diem meliore Comâ, facibúſque coruſcis
Indue *votivas* Tedis ſolennibus *horas*.
*Túque* adſis pictâ tranans vaga Cærula Conchâ
Quam volucrum pennata cohors comitatus amorum.
Magna *Venus* veſtro *Tomkino* lætior adſis;
Adſis *Olorinos* aptans in fræna *Jugales*.
Æoniáſque procul fugias cum matre latebras

Progenie

Progenies *Phœbi* cui Connubialia Curæ.
Prome Tuas *Hymenæe* Faces quibus Ille CUPIDO
*Ventilet optatum* T*halamis coëuntibus Ignem.*
Sed quid Vota vagus fundo puerilia ? cùm nec
Sit Votis Precibúſve locus ; quando omine tanto
O T*omkine* Tuis arrident Sydera T*edis* !
Cerne maritato ut ſociatur machina mundo,
Lætáque Cognatæ Veneris referentia mores
Æquora ſtrata ſilent blandúmq; hortantur Amorem.
Æmula dum veſtros T*omkini* ſpectat honores
Exanimis *Natura* ſtupet veſtróque laborat
Exemplo ad ſimiles hortari animantia flammas.
En Tellus fæcunda parit, gremióque feraci
Fundit odoriferos flores, aſpergine *terræ*
Aſtringens glebas, & *Cœli* rore *maritans.*
Aſpice quàm tacito coëunt clamore *Columbæ*,
Et cementatis immiſcent oſcula roſtris,
Et *Venerem Vegetiva* colunt, omníſque viciſſim
Felix arbor amat, dum mutua brachia pandunt
Nexibus implicitis, coëunt in chara *Cupreſſi*
Fœdera,

Fœdera, Populeæ ſuccumbit *Populus* umbræ
Vitibus & Vites, Alnóque aſsibilat Alnus.
His docuit *Natura* Faces; præſcripſit & illis
Blandula, Concubitus licitos *Veneriſque* receſſus;
Veſtra, ſed (O Socii) nova Connubialia *Cœlum*
Molle parentavit, tantóque indulſit Amori.
Creſcite *Vos Animæ* Concordes! unde beato
Fœdere depulſis peragatis Somnia Curis.
Incolumes *Vos* longa Quies *Vos* Pacis Oliva
Ambiat, & meritis circundat *Tempora* vittis.



# EXEQUIÆ

Viri Generosissimi

*JOANNIS CHICHESTERII*

Gubernatoris de *Derry*, Militum Tribuni, *&c.* & Illustrissimi Domini

*ARTHURI* Comitis *Dongalliæ*, &c.

*Fratris* Natu Secundi.

QUI

| | | |
|---|---|---|
| *Vitæ* | Integritate | Coëtaneos omnes |
| *Morum* | Suavitate | Juventutis suæ multis |
| *Virtutis* | Magnanimitate | Parasangis præcessit. |

Quique postquam

A *Peregrinationibus* omnifariam *Politiam*,
*Pace* veram *Pietatem*,
*Bello* Triumphorum *Panopliam*, reportâsset,

NESCIO QUO

*Equi* ferocientis Infortunio in Stagnum *Molundinis* vorticosum collapsus expiravit, & Corpus Solo, Animam Cœlo resignavit, Mense *Aprilis*, 1643.

*Melpomene*

MElpomone Pia pande Lares, & Triste *Sorores*
*Parnassi* Pæana sonent; assurgite *Nymphæ*
Undique *Fluminea*, & nostro indulgete Dolori.
Mœsta *Lyram* plorans suspendat HIBERNIA; *Plectrũ*
Raucisonúmque gemat. Proh *Chichesterius* Ille
*Occidit Infelix primisque abscinditur annis.*

Flebile *Belfastum*, nec non *Strandmellius* Ille
Imbribus ora riget lachrymisque humectat abortis,
*Stagna Molundini* Quibus (heu !) *Chichestrius* Ille
*Occidit Infelix primisque abscinditur annis.*

*Ille* Patris Fatrisque sui gratissima Merces;
*Ille* Senum fæcundus Amor, *Juvenúmque* Voluptas;
Cujus ab antiquis *Proavis* Titulisque vetustis
Floruerat Fortuna *Domus*, & Stemmate longo
Surgebat cumulatus honor; *Chichestrius* Ille
*Occidit* Infelix *primisque abscinditur annis.*

Sic cum Mane novo Croceis surgentia Campis
Germina præcoces Apices, & Culmina tollunt

Florida, & expoſito jactant faſtigia Cœlo :
En ! cùm longa dies per aprici Sydera Cœli
Surgit hiulcatos & torret *Sirius* Agros
Marceſcunt penitus, tantæ Impatientia flammæ,
Acclinántque comas, Terráque cacumina condunt.
Et nunc unde Tuis aptem Præconia factis ?
Unde ſequar tantas Laudes ? veſtigia quærens
Diſtrahor ; Hinc *vires* ſtantes in margine vitæ ;
Illinc *Temperies* ſubit ; indè *Modeſtia* vultus,
Et *Pietas*, tenero & *Probitas* maturior ævo.
Scilicet *Ipſe* alios prægrandi Robore mentis
Anteibat quantùm præcellit clara minores
*Luna* Faces, noſtros vel provocat *Heſperus* Ignes :
Sic clarus *Juvenis* Vultu Greſsúque decoro
Omnigenos *Satrapas* magnis ſuperaverat auſis.
Sæpiùs atrato *Quem Mavors* turbine Belli
Fumanti conſpexit Equo, flammatáque tela
Vibrantem, & tremulæ ſparſum ſudoribus *haſtæ*.
Sed proh Fata *Bonis*, & Sors ſurgentibus auſis
Rara Comes ! nec clara *manus*, nec *Stemma*, nec *Ætas*
Flectere

Flectere perversæ valuerunt Stamina *Parcæ.*
Occidit en nobis Magnus *Chicestrius* ille
*Occidit Infelix, primísque abscinditur annis.*
Sic *Quercus* formosa suæ modò Gloria Sylvæ,
Quæ *Boreæ* secura minas, sævásque bipennes
Pertulit, horrificis & risit *Oriona* nimbis,
Fulgure proh Cœli vulsis radicibus icta
Deficit, & terram spatioso stipite signat.
In *Nemoris* morem sic dum sublimia tendit
Brachia celsa Domus, decus & virtutibus auget;
Ecce Novercali Fato, seu *Surculus* alter
De T*runco* trahitur, *primísque abscinditur annis.*
Hæc tanti Fortuna VIRI, cui *Fama* Nepotes
Venturos tanget, nullóque tacebitur ævo,
Quæque triumphatrix ibit trans Æquora, tránsque
*Anglorum* Fines, *HIBERNORUMque* recessus.

---

PARENTATIO:



# PARENTATIO
## Generosis Manibus

*Ferdinandi Fisheri,*

Juxta *Monam Insulam*, A^no^ M.DC.XLVI

NAUFRAGIO absorpti.

## ODE GALLICA

*Pagano Fishero,*

Fratri Pientissimo atque Amantissimo,

INTER

*Anglos* POETAS & MILITES

PRIMIPILARI.

IN

Amicitiæ μνημόσυνον DICATA:

*REYNES,*

REYNES, des noires Destinées
Vos, de qui le fatal ciseau
Dispose à son gré du fuseau,
Sur qui se fillent nos années ;
Dirés-vous jamais c'est asses ?
N'aves-vous point les bras Lassés
De cou, per chés *l'Anglois* des trames ?
Et comme esclaves d'*Acheron*,
Fournir à tous momens des ames
A la Nacelle de *Charon* ?

L'horreur des Discordes Civilles,
Qui de tant d'Heros engloutis
A peu vos sanglans appetits,
Et depeuplé tant de Familles ;
Ne pouuoit elle triompher
Par la seulle rage du fer,
De l'heur de ce *Recoin du Monde* ;
Sans que vostre interest jaloux,
Allast chercher iusques dans l'onde
Des instrumens de son Courroux ?

O Roy

Sont ce là les fruits de l'hommage,
O *Roy* ! de l'humide Element,
Qui ſont deus au reſſentiment
Ou le Sceptre *Anglois* vous engage ?
Tant de bons offices paſsés
Sont-ils ainſy recompensés,
Au mèpris de tous ſes *Monarques* ?
Que vous ſecondiés les complots,
*Des plus noirs Miniſtres des Parques*
Par l' inſolence de vos flots ?

Quand le glaive affamé moiſſonne
Ces hauts Exemples de valeur,
*Mars* ſemble avoir quelque couleur
D'attenter contre leur perſonne ;
Leur éclat peut bleſſer ſes yeux,
* Et Leurs raions trop glorieux,
Former la vapeur de ce Foudre,
Dont la jalouſe Ambition,
A moins que de reduire en poudre
N'aſſouuit point ſa paſsion.

* Εἰκὼν Βασιλικὴ Chap. 2 § 1. *Men who move in a high ſphere, and with a vigorous luſtre, muſt needs (as the Sun) raiſe many envious exhalations, which condenſed by a Popular* Odium, *are capable to caſt a cloud upon the brighteſt merit and integritie.*

Car la Mort est moins inhumaine
Aux cœurs nourris dans les Combats,
Quand ce Dieu ne leur donne pas
D'autre district que son Domaine ;
Et quand la Terre ovurant son flanc
Reçoit le pourpre de leur Sang,
Ils pleignent moins leur Destinée ;
Mais d'estre abismé dans les flots,
Est mesme au sens du *Brave Ænée*
* Un sort indigne des Heros.

Là celuy qu'autres fois *Achille*,
Vit sous les rampars d'*Ilion*
Plus fier & vaillant qu'un Lion,
Deffendre les murs de sa Ville ;
Et sans crainte d'aucuns hazars
Signaler dans le Champ de *Mars*,
La fermeté de son courage ;
Tesmoigne de l'estonnement,
Aux premiers assauts que l'orage
Luy livre sur cet Element.

---

* Servius ad locum *Virgilii* 2 Æneid. *---O térque quatérque beati ! Queîs ante ora Patrum, atque alta Mœnia Trojæ*, &c.

La valeur

La valeur est comme liée
Dessus cet Empire inconstant ;
Le plus ferme esprit est flottant,
La plus haute ame humiliée ;
Et quand Neptune est irrité,
La Vertu perd sa liberté,
Et ne brille plus dans sa Sphere ;
*Car* son lustre éclatte bien moins
Aux actions qu'elle peut faire,
Quand elle à si peu de témoins.

C'est là le suiet de nos larmes,
*Brave* ame, à qui tout l' univers
Avec l' offrande de nos vers,
Doit les premiers honneurs des Armes ;
La mesure de nostre deuïl
Seroit moindre, si ton Cerceuil
Eust esté le Champ de Bellone ;
Où l'on vit ton fer autres fois,
Deffendre la *Triple-couronne*
Par tant de signalés exploits.

Nostre douleur poignante & fraische
Auroit un plus doux aiguillon,
Si commandant un Bataillon
Tu fusses cheu sur une Bréche;
Où que dans tes derniers effórs
Jonchant la campagne de morts,
Ton bras eust fait sa Sepulture
Dans le flanc de ses Ennemis,
Et vengé sur eux la Nature
Des grands Crimes qu'ils ont commis.

Comme un Chesne de qui la cime
Fuyant le commerce des yeux,
Va cacher jusques dans les Cieux
Sa perruque Auguste & sublime;
Quand le fer à sappé son tronc
Chancelle, & tombant de son long
Abandonne sa vieille souche;
Puis descendant comme un éclair,
Entraine tout ce qui le touche
Dessus la Terre, où dedans l'air:

Ainſy l'on auroit veu ſans doute,
L'orgueil des *Titans* abbatu,
Sous les efforts de ta Vertu
Souffrir une injuſte déroutte :
Ton bras à vaincre accouſtumé,
N'auroit pas ſenti des-armé
Les froides ſueurs de la Tombe ;
Et la Parque euſt avec plaiſir
Veu choir ſous toy mainte Hecatombe,
Avant qu'elle euſt peu te ſaiſir.

De ton ſang la terre trempée,
Euſt fait renaiſtre ſous tes pas
Mille Legions de Soldats,
Plus vaillans que ceux de *Pompée* ;
Et le déplaiſir de ta mort
Compensé par un ſi beau ſort,
Euſt moins ſolicité nos Larmes ;
Si quelque acte de ta valeur,
Par un dernier Chef-d'œvure d'armes
Euſt conſolé noſtre douleur.

Mais

Mais, que dis-ie ? cette pensée
Semble ton merite offencer,
Que l'on peut aſsés rehauſſer
Du prix de ta vie paſſeé ;
Tant de vaillantes actions,
Dont chés les autres Nations
Ton courage à donné des marques ;
Sont-ce pas des traits ſuffiſans.
Pour graver en deſpit des Parques
Ta gloire au Regiſtre des Temps ?

Laiſſons donc ta Mort, que l'evie
Ne ſcauroit meſme controler ;
Chercans dequoy nous conſoler
Dedans l'Hiſtoire de ta vie ;
FERDINAND, tes braves exploits
Parlent encor chés l'*Hollandois*,
Ou tu fis ta premiere Eſchole ;
Le *Rhin* s'en ſouvient tous les jours,
Et quand ſa Naïade en cajolle,
C'eſt le plus beau de ſon diſcours.

WILLEMOT

WILLEMOT, de qui les Services
Et les attentats glorieux,
Ont eu ſouvent dedans ces lieux
Des applaudiſſemens propices ;
Ce fut premier dans ton giron,
(Ainſy qu'*Achille* ſous *Chiron*)
Que ce Brave apprit à combattre ;
Sa maiſon eſtoit ſon harnois,
Et lors qu'il ſe vouloit ébattre
Ses feſtins eſtoient des Tournois.

Sur le pré ſouvent la Victoire
Sans bruit, ſans ſuitte, ny teſmoins
Ne le favoriſa pas moins
De ſes ſuccés remplis de gloire ;
C'eſt là que ſa vraye valeur
Sans fard, ny ſans fauſſe couleur,
Monſtra ſon coloris illuſtre ;
Ailleurs bien ſouvent les hazars
Où le nombre ; donnent du luſtre
Aux Coyons, autant qu'aux *Céſars*.

Ainſy

Ainſy de ſes jeunes annèes
Le tiſſu riche & precieux,
Meritant d'eſtre dans les Cieux
Fillé par d'autres Deſtinées ;
Puiſque ſa Magnanimité
Tendoit à l'Immortalité,
Devions nous pas bien nous attendre ;
De voir ſuivant les loix du Sort,
Les fruits meurs d'un age ſi tendre,
Choir aux sècouſſes de la Mort ?

Mais quand le vaſte ſein de l'onde
La reçeu dans ſon Element,
C'eſt que tout autre Monument
Eſtoit trop petit dans le Monde :
*Thetis* de *Nacre* & de *Chryſtal*,
Au lieu de Porphire oú metal,
Luy à fait une Sepulture ;
Où les Tritons reciteront
L'hiſtoire de ſon aventure,
Tant que les Aſtres dureront.

# ODE.

Autant de fois que de Neptune
Le Trident vient frapper les bords,
De ce froid & liquide Corps
Qui ſuit le branle de la Lune:
Quand *Nerée* avecques ſa Cour
Vient ſaluer deux fois le jour
L'Occident & la rive More,
Ses flots ſe changeront en voix,
(Taut que Phebus ſuivra l'Aurore)
Pour publier ſes beaux exploits.

Mais ſi les couleurs de *Parnaſſe*
Doiuent ton image ébaucher,
*Brave FISHER*, pourquoy chercher
D'autre pinceau que dans ta race ?
* Ton Frere mignon des Neuf Sœurs
Poſſedant toutes les douceurs
Qui peuvent couler d'Hippocrene,
C'eſt par trop, choquer la raiſon,
Que d'emprunter, une autre veine
Les Eloges de ta Maiſon.

* Paganus Fiſher, *frater defuncti, unus inter Anglos Poëtas primi nominis, & Autor Carminis Heroici de* Bello Eboracenſi, *&c.*

*P. de CARDONNEL.*

## *Ad Amicum Charissimum*,
Majorem *P. F.* ut Celeberrimum hoc Poëma TYPOGRAPHIS transmittat.

VIlle latens *Virtus* mediis submersa Tenebris,
  Nil valet obscuris *Gemma* sepulta vadis.
Scripta quis Ignotis mirabitur ista sub umbris?
  Quis dabit occultis *Laurea Serta* Comis?
Ergò agè in apricam proferantur *Carmina* lucem,
  Mandentúrque T*ypis* multiplicanda novis.
*Metra Cothurnato*, T*ragicóque* merentia *Socco*,
  Dignáque *Pieriis* æquiparanda Modis.
Viribus es *Animi* felix, & Robore dextræ,
  Et *Genio* excellens *Ingenióque* Tuo.
Extas Officio *Major*, sic Major in Arte,
  Et dubito an superas Marte vel Arte magis.

*J. H.*




*FINIS.*